



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annuae litterae Societatis Jesu

1582

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66469](#)



St. Johannis 1770.

Th. 5771.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNVAE
LITTERAE
SOCIETATIS
IESV

ANNI. M. D. LXXXII
Litter Somus Probationis
AD PARENTES, ET FRATRES
eiusdem Societatis.



ROMAE,
In Collegio eiusdem Societatis.
M. D. LXXXIII
Cum facultate Superiorum.

卷之四

3

AN NV AE LITTERAE
SOCIETATIS IESV
ANNI. M. D. LXXXII

PATRIBVS, FRATRIBVSQVE

Societatis Iesu, gratia, & pax

Christi Domini, &c.



ST officij ratio, & anni tempus fere elapsum postulat Patres, Fratresque Carissimi, ut Societatis consuetudine vobiscum ea communicentur, quæ à nostris toto orbe dispersis ad Dei Gloriam, proximorumq; utilitatem hoc anno gesta sunt. quæ quidem etsi ita multa contigerunt, ut Deo gratias agere debeamus ingentes, qui erga nostram Societatem tam certa sue Prudentie signa ostendit; ex ijs tamen ea feligam dumtaxat, quæ insigniora videbuntur. Neque enim institutum est annuis litteris quotidiana, & communia Societatis ministeria inculcare, sed ea tantum breuiter attingere, quæ in ordinarijs ministerijs exercendis vel noua, vel singularia acciderunt. itaque mirari nemo debet hisce litteris præteriri aliqua Collegia, quæ nihil præter communia habuere, neque enim omnes anni eandem r̄bique messem ferre possunt. Sed vt ad propositum veniam, Constat

A 2 nostra

nostra Societas Prouincij duabus, & viginti, ex quibus Lugdunensis in Gallia hoc primum anno instituta est. Ex his Prouincij duarum Brasiliensis, et Polonicae annuae litterae sunt desideratae, in reliquis vero numerantur de Societate 5583. ex quibus in Societatem adscripti sunt hoc anno 547. mortem obiere 112.

Collegia hoc anno in omnibus Prouincij plurima sunt a viris Principibus, ciuitatibusque efflagitata; ex quibus quae ad fundationem opportuna omnia deferebant, amplius viginti sunt a P. Generali reiecta, cui magis è re communi videtur instituta confirmare, quam noua instituere. Vnum tamen Talabrigense in Toletana Prouincia est admissum, ab Archiepiscopo Toletano Societatis amantisimo fundatum, de quo ut suo loco plura dicentur, ita haec initio generatim de Societate perfrinxisse sat erit. Iam ad singulas Provincias descendamus.



PRO-

AIDHIVORI
PROVINCIA ROMANA.

NVMERAT Prouincia Romana locis septēdecim socios quingentos, et octōginta, in Domo Professa centum, in Collegio Romano centum septuaginta quinq. in Domo Probationis ad S. Andræ octoginta, in Collegio Pænitentiariorum duos & viginti, in Seminario Romano triginta septē, in Collegio Germanico tredecim, in Anglicano decē, in Lau retano quadraginta, in Illirico quinque, in Florentino, & Perusino in singulis octonos denos, in Maceraten si quattuordecim, in Senensi tredecim, totidem in Recinetensi, in Tiburtino duodecim, in Sede Tu sculana septem, in Amerina sex. A nobis in cœ lum, ut speramus, migrarunt quattuor: eorum vi cem reddidere septem, & sexaginta in Societatem adscripti.

DOMVS PROFESSA
Romana.

Domus Romanæ fructus is hoc anno fuit, quē ab ea Domo, vnde Societas in omnes fere iā terras diffusa est, expectare quīisque debuisset. Ex Sacerdotibus quinque, & triginta (tot enim Romana in Domo numerantur) duodecim sunt confessari assidui, qui Domi, forisque vtilissimis occupationibus perpetuo disti nentur. Confessionum insignis frequentia fuit, in ijs

A 3 aliquot

aliquot decem, & viginti annorum; generalium vero quingentarum circiter summa inita est. Viginti amplius mulieres à turpitudine sunt reuocatæ. Hæreticus unus, qui multos annos in Caluini erroribus fuerat enutritus, cum Ecclesia per nos reconciliatus. Aeris restitutions ducentorum, trecenorumque aurorum factæ nonnullæ. Quidam cum uouisset, si certum in peccatum relaberetur, aureos centum se solutum (videlicet ut ea re peccandi consuetudini, ac procliuitati frenum iniiceret) atque in illud ipsum prolapsus esset, nostrorum suasu, votum exsoluit. Palæologus nouæ cuiusdā hæreseos Architectus, atque inuentor, cū in carcere veritatem animo semper obstinato respuisset, tandem cum produceretur, ut flammis viuus combureretur, in ipso supplicij loco ad sanitatem reuertit. in cuius conuersione tū eo ipso die, tum anteas sepissime precibus, priuatisq; disputationibus nostri plurimum laborarunt. Adhibentur nostri vulgo ad discordias componendas, & ægrotorum Confessiones audiendas, eosque in extremo vitæ tempore confirmandos. Ultro etiam nostri singulis hebbomadiis nosocomia, publicasq; custodias omnes inuisunt: ex qua re semper insignis animorum vtilitas consequi solet. In quibusdam sacrarum virginum Monasterijs tum habitæ cohortationes, tum confessiones auditæ, quarū pleræque generales fuere: Cum hoc rerum spiritualium fructu, temporalium commoditas coniuncta fuit: quāuis enim ingēs hoc anno Romæ fuerit annonæ caritas, mire tamen Deus vel per incognitos homines nostrorū paupertati prospexit. Pontifex etiam inopia Domus,

G

¶ necessitate cognita eleemosinam aureorum mille
opportune misit, alterumq. tantum postea ex multa-
titia pecunia, quam damnatis quibusdam exegerat, Do-
mui addixit. Farnesius Cardinalis in templi ædifica-
tionem aureorum sex millia dedit, quibus templi tho-
lus perfectus est, plumboque extrinsecus coopertus,
intrinsecus tum reliqua pictura ornatus, tum quatuor
Euāgelistis, qui quatuor in loculamentis sunt ex gypso
constituti. Ipsū porro templi instrumentum tum va-
ria sacrarum vestium supellecili auctum est, tum ar-
gentea pixide Eucharistiae seruandæ, centum quinqua-
ginta aureorum precio. Lampas quoque argentea au-
reis indicata nonaginta, & calices aliquot item argen-
tei donati sunt, sumptuumq. omnium in templi ornatū.
summa subducta hoc anno octingentorū fuit aureorū.

COLLEGIVM ROMANVM.

Auctis anno superiore Collegij Romani redi-
tibus, eiusdem etiam habitatio dilatari hoc an-
no cœpta est, ductumq. initium à Scholis, quibus ob di-
scipulorum multitudinem summe indigebamus. Coem-
ptis enim duabus vicinis insulis, priuatorumque domi-
bus solo æquatis, cum nouæ ædificationis prima fun-
damenta fodi cœpta essent; rogauit Pontificem P. Ge-
neralis, ut ex suis nepotibus Cardinalibus aliquē dele-
garet, qui primū in fundamēta lapidē rite poneret, de-
stinatusq. est Philippus Boncōpagnius, sancti Sixti Car-
dinalis, is cū ad 3. Idus Ian. Iacobo Boncōpagnio, alius-
que principibus viris comitatus mane in Collegium

A 4 venis-

*venisset, re diuina peracta, ad locum, vnde lapis erat
deiiciendus, progressus est: ibique linteatus stola
collo circundata, cum symphonia, sollemnique preca-
tione primum lapidem rite demisit sic inscriptum.*

*Religionis caussa Gregorius XIII. Pont. Max.
Bonon. Collegij Romani Societatis Iesu ampliss.
reditu aucti cedes ad oēs nationes optimis discipli-
nis erudiendas aere dato exstruens primū in fun-
damenta lapidem coniecit CIC. IC. L XXXII*

*Eo die pransi apud nos sunt Cardinalis, & Iacobus
Boncompagnij, alijque principes viri: inter prandium
autem concio perpetua sex, & viginti linguis, singulis
inter se dissimillimis, habita est, natalisque Collegij
dies varijs Emblematis, Carminibusque de Pontificis,
& Boncōpagniæ familiæ laudibus conscriptis, summa
omnium gratulatione celebratus. Id vero plerisque
non paruam admirationem attulit, quod cum secundo
iam de argumento eodem tot versus scripti essent;
ad nouā excogitanda facultatem existimabant exaruis-
se; quæ tunc multo fœcundius, velut ab nouella radice
pullulauit, sic prorsus, ut vel integra materia nulla res
vñquam maiore inuentionis varietate, carminūq. ele-
gantia tractari potuisse videretur. Vos autem Patres,
Fratresque carissimi Deum orate, vt diu Ecclesiæ Ca-
tholicæ, nobisq; Gregorium XIII. præstet incolu-
mē, quo is operi inchoato fastigium imponat. Id enim
summopere optare videtur sanctissimus Pontifex, qui
quibus modis potest omnibus, Collegij huiusc sui (sic
enim vocat) ædificationem promouere nō intermittit.
Nā præter pensiones illas, quas anno superiore attri-
buit,*

buit, hoc anno in eandem aedificationem aureorū ter-
na millia in annos singulos, per annos viginti adsigna-
uit 4. Idus Iun. 1582. quæ pecunia similiter ex virgin-
ti annorum pensionibus Abbatiæ cuiusdam Boncom-
pagnij Cardinalis exigitur. Ipso aedificationis initio cū
iam surgeret murus, Pontifex fabricæ ipsius structu-
ram inspicere voluit. itaque 14. Kal. Iul. à Vaticanis
ædibus ad Collegium venit, cumque muri partem vi-
disset simplici, rudique opere constructam (id enim no-
strorum paupertati conuenire maxime uisum est) illi-
co Dei*sci* iussit, atque opere lateritio, & magnifico re-
fici. Eo ipso tempore cum Pontifici Collegium obequi-
tanti vicinus quidam vir potens ad genua accidisset, li-
temque nobis de finibus intendere cœpisset; Pontifex
vocato P. Rectore, cognitisque partis utriusque
rationibus, eo ipso in loco nobis cauſam adiudicauit,
Suæ quoque familiæ insignia ex marmore, artificio
sculpta egregio, quæ in circo comparata erant, ut in
elegantissima fabrica figerentur, quam ipse Pontifex
in hortis Vaticanis construxit; nobis dono dedit, ut in
noui Collegij facie ponerentur: ea æstimantur aureis
amplius quingentis. verum de his hactenus: venio nūc
ad res domesticas. Nostrorum valetudo varie hoc
anno tentata est: verum, quæ Dei benignitas fuit, con-
ualuerunt omnes, fratre uno excepto, qui summa se-
nectute, longoque morbo confectus, vita deceſſit. Pa-
cificationes inter eos, qui ueteres inimicitias odijs in-
testinis exercebant, factæ sunt aliquot. Vnus etiam
adductus est, ut inimico condonaret, qui eo nomine Ro-
mam à multis millibus passuum venerat, ut illum con-
sideret.

foderet. Sacerdotis vnius de nostris frater multis ab
hinc annis, nescientibus nobis, testamentum fecerat, Ro-
manumq. Collegium suarum fortunarum omniū scri-
pserat hæredem. eo tandem hoc anno vita functo, Col-
legium ex testamento in honorum possessionem venit:
ex ijs anni capiuntur aurei circiter duceni. Cum Bo-
romæus Cardinalis Roman aduentus tempore venis-
set in Collegium à P. Rectore, P. Generalis nomine,
inuitatus ad Prandum est: quam in uitationem ita li-
benter accepit Cardinalis, vt quamvis aduentus tem-
pore pisces, vinumq. gustare non soleret, eo tamen die
non secus ac si festus, solemnisque esset, nostra caussa
de sua illa abstinentia non nihil remiserit. itaque & pi-
sces comedit, & vinum bibit; exceptusq. est inter prā-
diū diuersarum linguarum concione. eodem etiam
die P. Rectoris rogatu, in templo nostro rem diuinam
fecit, atque cum nostris omnibus, tum auditoribus cir-
citer octingentis Christi corpus communicauit: matuti-
nisque, ac pomeridianis Theologiæ scholis interfuit.

DOMVS PROBATIONIS.
ad Diui Andreæ.

MAgna fuit hoc anno in Probationis Domo mes-
sis: septem enim, et sexaginta in Societatem ad-
scripti sunt, ex omnibus ferme Provinceij Dalmatia,
Scythia, Græcia, Flandria, Gallia, Hispania, Germa-
nia, Anglia, Hibernia; in his Iuris consulti sunt qua-
tuor, reliqui Theologia, Philosophia, studijsque Hu-
manitatis eruditi; nonnulli etiam nobili genere nati:

Horum

Horum omnium ingressum coheret autem prælatus quidam ex eo ordine, qui Clericorum Cameræ Apostolicæ nominatur. Est autem ille ordo Romæ amplissimus, Cardinalibus gradu proximus, unde etiam plerique in illud Collegium adlegi solent: atque huiusmodi Clerici in septem Diaconorum locum successisse dicuntur, qui ab Apostolis rerum temporalium administrationarum causa constituti sunt: quare eorum instituto patrimonium Ecclesiasticum etiam nunc Cameræ Apostolicæ Clerici procurant. Is igitur cum nobilitate, diuitijs, opibus, gratia plurimum posset, atque ad maiores etiam honores aditum patefactum, & expeditum haberet; omnia ut stercora arbitratus est, ut Christum lucrifaceret: quem etiam duo ex ipsius familia, quam multam alebat, paullo post secuti sunt. Commouit vero ea res non mediocriter procerum Romanorum animos, adeo ut aliud fere nihil per eos dies in sermone omnium versaretur. Paucis autem ab ingressu diebus ut se mundo, sibique mundum crucifixum esse omnibus testaretur, leuidensa attrita, & lacera indutus, pendente ex humeris pera, urbem visitatim obiuit, panem ab ijs potissimum emendicans, apud quos videri posset maximam ea re indignitatem subire. Itaque vir nobilissimus, atque notissimus eo exemplo sic hominum studia permouit, ut opifices vulgo relictis officinis ad spectaculum ipsum concurrerent: qui, cum illum olim beatum in primis iudicassent; mirabantur videlicet tunc eum pro Christo diuitijs inopiam, honoribus ignominiam prætulisse. Alius quidam vir grauis, & prudens

dens multarum linguarum Dalmaticæ, Turcicæ, Valacicæ, & Arabicæ sciens, qui que multis annos mercaturam exercuerat apud Turcas; cum Romæ Societatis nostræ exercitia peregrisset, ad eandem voluit adiungi. Hæc igitur de Probationis Domo, cuius res, quoad spiritualia valde bene procedunt; mira enim caritas inter se, ac studium perfectionis cernitur in universitate: in temporalibus laboratur; huius enim domus vectigal vix ad dimidiam partem Novitiorum alendam satis est. Verum Deus mirifice adhuc illis prospexit. Pontifex etiam Max. Abbatiam S. Mariae in Fiorentello Spoletanae diœcesis vi. Non. Octob. attribuit, quæ annuos reddit aureos circiter sexcentos. Aedificatio, quam anno Superiore institutam ex eleemosinis dixi, ad tectum perducta est: in eam sumptus facti sunt aureorum amplius tribus millibus.

COLLEGIVM GERMANICVM.

Collegij Germanici familia constat alumnis centum, & viginti, ea tredecim in contubernia divisa est, quibus singulis Diui præsunt tutelares aliqui, quorum festa cum aduenere, contubernales Aram tum ornatu cætero, tum vero carminibus exornant; diemque illum Confessione, & Communione, nec non Symphonia, publicaque diuerberatione religiose celebrant. Sunt autem universi ad virtutem mirum in modum propensi, & suos moderatores, & inter se amant. Sacraenta obeunt frequentes: ac diebus festis antequam Sacrificio missæ intersint, in singulis contubernijs

nūs priuatum veniam inuicem petunt eorum, quæ offendint ea hebdomada: voluntarias pœnas, & mortificationes sua ipsi sponte, Aduentus præcipue, & Quadragesimæ tēporibus suscipiunt: longinquas quoque peregrinationes ad Lauretū, Casinumq; montem pedibus ingrediuntur. Iis vero diebus, quibus à studijs feriantur, tam multii petūt, uti spiritualibus exercitijs instituantur, vt cum ad omnia Societatis urbana loca mittantur aliqui, satisfieri tamen omnibus non possit. Viginti nouem hoc anno, studijs Theologiæ perfectis, in Germaniā missi sunt: in his erant Sacerdotes tredecim: ex quibus sex hic iam Romæ probati, eo consilio profecti sunt, ut in Germania societatē ingredentur, vñus etiā Romæ sacerdos admissus est. Alius Sacerdos in Liuoniam cum P. Possevino discessit, ut apud eos populos Catholicam religionem disseminaret. Tres vita functi sunt, quorum vñus, cum Societatis vota olim nuncupasset, paullo ante mortem à P. Generali receptus in Societatem est. In horum omnium locum aliquot è Germania aduenere: plurimi item ut admittantur, summopere efflagitant. Qui autem recentes adueniunt, ijs non ante patet aditus ad cœtum, conuictumque cæterorum, quam generalem vitæ confessionem peregerint, rationemque didicerint Sacra menta fructuose percipiendi. Adhibentur autē huius Collegij alumni ab omnibus xenodochijs, ut egrotantium in ijs audiant Germanorum confessiones. Idem Germanicas habet conciones tum in proprio Collegij templo, tum ad Pontificis cohortem, cæterasque Germanorum Societates: militum autem cohortis

hortis etiam confessiones omnium ordinarias excipiunt. Collegio huic tēpla tria subiecta sunt, quae magna hominum frequentia celebrantur, tum propter ipsorum templorum antiquitatem, & religionem, tum ob cérémonias, cultumque, quo res diuina in ijs peragitur. Et sane in Ecclesiasticis cérémonijs alumni maxime excellunt. itaque Episcopus quidam multis precibus contendit, ut ex ijs aliquem secum dederet, qui suæ dioceseos cérémonias corrigeret. Alius Episcopus, cum multorum dierum Romæ moram fecisset, Clericos adolescentes in Collegium frequenter mittebat, ut inde ritus Ecclesiasticos perdiscerent. Ex ijs autem templis quæ dixi, duo picturis hoc anno sunt ornata, in altero quidem, quod S. Apollinari dicatum est, ipsius sancti vita est depicta: in altero, quod globosa forma constructum, dupli ordine columnarum sex, & quinquaginta sustinetur, S. Stephano sacrum, persecutioes omnes, quæ annis quadringétiis in Christianos sunt concitatæ, ex Romanorum Imperatorum tempore descriptæ sunt. qui locus tum ob picturæ elegantiæ, tum vero quia vim infinitam tormentorum, iniictamque Martyrum constantiam oculis subiicit, visitur quotidie à multis; quorum etiam aliquibus præ pietate Lacrimæ decidunt inter spectandum. Inuisit hoc templum Stationis die ipse Pontifex, atque ab alumnis, qui obuiam cum superpelliceis processerunt, summa cum veneratione exceptus est. is, cum Missæ quæ tunc canebatur, aliquamdiu interfuisset, significauit postea, omnia sibi summe esse probata. Die sanctorum omnium unus ex alumnis orationem ad Pontificem Cardi-

Cardinalesque habuit; qui tam aequis omnium auribus, animisque vsus est, statim ut decerneretur, vt in reliquum tempus vnius aliquis de alumnis eodem die orationem haberet.

COLLEGIVM ANGLICANVM.

Quam diuinum fuerit Gregorij XIII. consilium, vt tot collegijs instituendis, nationes eas ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reduceret, quæ ab illa nefarie descivierunt; vel vnius Anglicani Collegii fructus comprobat in dies magis. At id hoc tempore adolescentes circiter septuaginta, quorum pietas, & in suppliciis pro religione tum obeundis alacritas, tum perferendis constantia cum antiquis illis Martyribus videtur certare. Decem hoc anno, studiorum suorum cursu confecto, in Angliam ad suos ciues conuertendos rediere. ex quibus duo Remis substitere, vt in eo Collegio Theologiam, ac Philosophiam doceant: tertius item Sacerdos, vir innocentia, prudentiaque singulari à D. Alano subinuitus omnino retentus est, vt eius opera, & consilio ad illius Collegii gubernationem vtatur: septem reliquos in insulam tuto penetrasse, ac se se ad ciuium suorum salutem utiliter impendere cognitum est. Et quoniam huiusc Collegei alumni vel vni maxime ex omnibus Catholicis crudelissimis Reginæ edictis petuntur; siccirco singulis momentis innumerabilia illis in Anglia pericu-

pericula imminent, atque ab hostium insidijs nunc vescem, nunc sedes mutando se se occultant, insinuant etiam se se in ipsas custodias, ut catholicos, qui in eis iuncti detinetur, consilio, & re iuuent: adeo supersunt animi non ad cruciatus modo tolerandos, sed etiam in uitandos. Sacerdotes quattuor, qui ex hoc Collegio exierunt, in Anglia hoc anno sunt comprehensi, qui squalore carceris, omnibusque tormentis excruciat, egregium suæ religionis, & fortitudinis exemplum præbuer. Sacerdotes item alij tres Lucas Chirbaeus, Ioannes Sertus, & Laurentius Ricarsonus, cum omnem suppliciorum immanitatem essent perpeſi potius, quam à fide deficerent, tandem martyrio affecti sunt 3. Kal. Junias. Romæ tres vita decesserunt, excellentis sanctitatis adolescentes, in his unus Eduardus Trocmortonus fuit, clarissimo genere, singularisque integritatis exemplum, cuius vita omnibus virtutibus admirabilis ab ipsis familiaribus conscripta est: alter Rodulfus Scirlæus honesto item loco natus, qui cum diu spiritui sancto restitisset, tandem diuinitus est ad Catholicam religionem conuersus. Is consanguineo quodam viro catholico auctore cum ex Anglia Remos venisset, ab Alano ſæpe ad Ecclesiæ Romanæ veritatem initatus est, quæ cohortationes licet eas ille mente obſtinata reiçere conaretur, tamen quosdam aculeos ſemper in animo relinquebant, qui dies noctesque ipsum stimulabant; quos cum euellere non posset, varijs ſe ſe volutatibus dedidit, eam quaſi aberrationem querens a moleſtis cogitationibus. Ad extreum cum timeret, ne ad veritatem pertraheretur, Parisios ſe contulit,

vt

vt nobilem Anglum, quem ipse hæreticum existimabat (ita enim ad credendum à Catholico quodam artificiose inductus est) conueniret; Cum vero comperisset eum, quem quærebat esse nostræ Societatis, cuius ille homines tanquam malum omen exsecrabatur; ira in citatus Geneuā ad Bezam proficisci constituit: sed accidit diuino consilio, vt cum is viæ se dare vellet, grauissima febri corriperetur, ex qua dies aliquot decubuit: quo tempore cum eum Anglus quidam nobilis Catholicus, ac Sacerdos de nostris vñus officii cauſa inuissent; ab iis ad Ecclesiam Sacrosanctæ gremiū reductus est: atque ubi morbo emersit, abiecta Geneuā cogitatione, Romam petere decreuit. Interea litteræ ab adolescentis consanguineo hæretico afferuntur ad Angliæ Reginæ legatum, quibus ille orabat legatum, vt vel Parisijs retineret adolescentem, vel Geneuam tuto amandaret. Excepit hanc rem totam hæreticus quidam, qui cum ad iuuensem casu venisset, eumque ad iter iam accinctum offendisset, modis omnibus retinere aggressus est. Iuuenis cum magnum in mora periculum esse cerneret, neque alia se se ratione expedire posset, stringit pugionem, ac nisi facesset, se eum ex templo tranfixurum minitatur: subditisque æquo calcaribus, magnis itineribus Romam versus contendit. In Collegium vero Anglicanum receptus, illustria tū in reliqua vita, tum in extremo morbo virtutum omnium exempla dedit. Hanc autem ipse sui conuersio[n]ē S. Augustini meritis adscribere solebat, erga quæ sanctum iam inde à pueritia, licet inter hæreticos natu[r]is, educatusque præcipuo quodam amore se se affici

B sen-

sentiebat. Horum autem trium desiderium lenierunt decem, & septem, qui ex Anglia venere spectatæ virtutis adolescentes; in ijs aliqui sunt nobilissimo genere nati: aliqui etiam ob vnam religionis caussam iniurias multas ab haereticis pertulere.

Gregorius xij. sicut unus omnium optime huiusc Collegij utilitatem, necessitatemq. nouit, ita etiam illud cordi maxime videtur habere. Itaq. hoc anno aureorum duo millia dedit, quibus Collegij vectigal amplificaretur: permisitq., ut Placentinus S. Victoriae Prioratus huic Collegio coniungeretur, eius reditus annuus quadricenorum est aureorum. Vineam idem, in quam se recipere possent adolescentes, & animu studiorum contentione remittere, summa cum diligentia quæri iussit: cumq. nulla cōmoda inueniretur, tantisper eam, quam Iulius Pont. Max. construxit, liberalissime eorum vīsibus adsignauit. Atque hanc insignem benevolentiam, liberalitatemq. non solum in hoc Collegium, quod vt suum opus amare, & ornare videtur debere, sed plane in vniuersam Anglorum gentem præstat optimus Pastor. Itaque ad eorum inopiam subleuandam, qui ob egregiam in Ecclesiā Romanam fidem eiecli patria, per Christianum orbē vagantur, Breue, quod vocat, ad omnes Christianos principes dedit, quo eos bortabatur, vt tam piæ caussæ Fauerent, Anglosq. quibus possent officijs completere rentur. Hoc Breue cum ab omnibus concionatoribus Quadragesimæ tempore Romæ promulgatum esset, multi Prælati, viriq. illustres per vrbis regiones distributi, stipem coegerunt: alumni item Collegij, aliq. vi-

ri no-

ri nobiles tum Angli, tum aliarum nationum, sollemni Sodalitatum vestitu ad stationes omnes eleemosinā cum scrinijs palam corrogarunt, collectaq. Romæ sunt aureorum circiter duo millia, in reliqua autē Italia ad numerū quinque millium: atque ex alijs item Prouincijs non paruum Anglis subsidium venturum speramus. Eadem etiā studia sunt Cardinalis sancti Sixti, cuius in Clientela Collegium est: is templi teclum pulcherrime laqueatum, aureis fabricatus est amplius trecentis. Neque desunt alijs præterea viri pijs, qui Collegio huic benigne faciant: unus enim magnam struem lignorum dedit ad comburendum: Alter moriens domum testamēto legauit: quidā etiam viuens testamen tum scripsit, quo post suum obitum annum vectigal aureorum quinquagenorum relinquit. Et sane Collegium hoc huiusmodi patrocinij indiget plurimum: ut enim à viris grauissimis cognitum est, magna ab Angliae Regina tum Romano, tum Remensi Anglorū Collegijs tenduntur insidi.e, atq. ab ijs magis, quā à quo-uis alio Christiano Principe sibi timet: propterea quod horum Collegiorum alumni tanto religionis catholicæ restituendæ studio feruent, vt eorū ardor tot cruciati- bus, quos in dies singulos crudelitas excogitat, reppri- mi nullo modo possit. Die Protomartyri Stephano dicato, unus de alūnis orationē ad Pontificē habuit, quæ sic omnibus probata est, vt Pontifex diem illū Anglicano Collegio cōstitueret, quo eorum aliquis deinceps orationē haberet; quod diem illū sanctissimi Protomartyris maxime diceret conuenire ijs adolescentibus, qui lese ad martyriū perferendū in ea palestra exerceret.

B 2 Est

Est in Anglicano Collegio vetus Anglorum hospitium, eorum nimirum, qui pietatis caussa Romanam banc peregrinationem suscipiunt, quibus etiam ad octauum diem victum liberaliter praebet. multi hoc anno aduenere, erga quos alumni omnia pietatis officia exhibuere, aliquot etiam cum Ecclesia Catholica in gratiam rediere. Venit inter hos Poli Cardinalis nepos cum filio octeni excellentis indolis, Reginæ crudelitatem fugiens, quem summopere studebat, ut eos in sua potestate haberet, quo eam familiam, quem in Anglicanum regnum habere ius dicitur, stirpitus deleret. Is a Ponifice humanissime exceptus est, & tractatus honorificentissime: filius autem ad coniuctum filij Parmensis Printipis in domum Farnesij Cardinalis missus est: vir quidem de catholica religione optime meritus, ut qui semper inter illas persecutio[n]es sacerdotes enixe fuit, quos etiam ternos, quaternosque domi suæ perpetuo habuit, ijsq[ue] rem diuinam facientibus religiose quotidie ministrauit. Hæc de Anglicano Collegio pro instituta breuitate multa, pro illius rebus gestis, & meritis per pauca: etenim ne bis eadem legeretis, satius visam est, ad ipsum vos de Anglicana persecutio[n]e librum rei[c]ere; Nuc quoniā urbana Societatis loca exposui, sequitur, ut deinceps de prouincialibus dicā.

COLLEGIVM LAVRETANVM.

Collegium Lauretanum nostrorū numero, & fructus libertate reliquis collegijs prouincialibus præstat. Confessiones generales in eo sunt auditæ amplius

plius ducentis: pecuniae restitutio[n]es factae innumerabiles ducenorum, trecenorumque aureorum, & eo amplius; plurimis erectae concubinæ: aliquot apostatae ad suas religiones reducti: hæretici etiam cum Ecclesia reconciliati, aliaq. plurima è re diuina gesta, quæ publicis litteris committi non possunt; ea tamen cuiusmodi sint, quiuis facile coni[ci]ere poterit, cum ex incredibili concursu ab omnibus orbis terrarum partibus, tum vero ex templi ipsius sanctitate, quod vel durissima peccatorum corda ad salutarem p[re]nitentiam flectere, ac mollire solet. Quidam cum Sacrosanctam illā Domum introisset certo consilio, ne confiteretur, diuinatus repente permotus, confessionem multis cum lacrimis peregit. Decem militum Hispanorum cohortes cum illac iter facerent, expiatæ confessione sunt à nostris triginta circiter: ex ijs concubinas quas habebant, aut à se reiecerunt, aut in uxores legitimas duxerunt. Multa in eo loco supra naturæ uires quotidie fiunt, quæ præsentem loci diuinitatem ostendunt, vni enim loquendi facultas diuinitus redditæ est: alteri, cū tres annos oculis fuisset captus, visus restitutus est. Homo transalpinus ex sacra domo calcis aliquantum sustulerat; hunc, ubi Romam venit, morbus debilitate subita adortus est: cum autem de consilio quorūdam Lauretum rediisset, calcemque restituisset, illico sanitatem recuperauit. Vastauillanus Cardinalis sanctæ illius dominus Protector cum Lauretum venisset, Collegium nostrum inuisit, visaque angusta habitacione, alia duo cubicula, quibus angustiæ laxarentur, nobis dare iussit.

B 3 COL-

PROVINCIA
COLLEGIVM FLORENTINVM.

Florentiae hoc anno templum est patefactum, in genti hominum gratulatione, & concursu, stupentibus etiam plerisque, unde nouum templū subito existisset. In illius exstructione valde illustris enituit ciuium in nos benevolentia, & liberalitas: cum enim in eam ædificationem multorum millium aureorum impensa facta sit, tamē tantum abest, ut aliquod æs alienum sit contractum, ut potius Collegij vectigal, quod initio vix ad dimidiā partem nostrorum alendam satis erat, templo perfecto, expensarumq. omniū subducta ratione dimidio plus sit auctum; Multi Princes viri sacella sibi nostro in templo dari certatim petiere, quæ ornarent: itaque cum nouem in eo sint, omnia iam destinata sunt: plurima quoque munera magni precij in illius ornamentum collata. Magnus est ad nostros sacramentorum caussa concursus, sic ut unus ducentas audierit confessiones generales. Adhibetur etiā nostri ad eos iuuandos, qui ad supplicium ducuntur, quorum unus vir nobilis nunquā à suo latere nostrum sacerdotem discedere passus est; ductusque ad supplicij locum orationē habuit ad circumfusam multitudinem, hortatusque omnes est, ut suo exemplo sceleribus abstinerent. Philosophiae curriculum anno superiore cœptū, belle procedit, auditores circiter quadraginta numerantur. Cardinalis Boromæus iter faciens Florentia, Collegiū, scholasq. nostras inuisit, rem diuinā in nostro templo fecit, ac tum nostris, tum magna populi multitudini Christi corpus distribuit.

COL-

COLLEGIVM PERVSINVM.

Neque minor fuit Perusinorum in nos amor, & benifcentia, qua liberalitate tum quingentorū aureorum & alienum dissolutū est, tum Collegij ædificatio promota, & aliquot ornamenta templo cōparata. itaq. licet Collegij rectigal admodum tenue sit (vix enim trecenorum est aureorum) tamen hoc anno mille, & sexenti aurei sumptus facti sunt. Graues inimicitiae nostra opera sunt depositæ, quæ in ciuitate belliosa multæ quotidie existunt; qua quidem in re nostri Deum valde propitium habuere: quatuor ritæ periculò subtracti à nostris, cum eos de insidijs, quæ parabātur, opportune monuissent. Inter eos, qui hoc anno sua scelera publico suppicio luerunt, unus nullo modo adduci poterat, vt confiteretur, is tandem nostri sacerdotis oratione ita permotus est, vt non solum ipse confessionem faceret, sed reliquos etiā ad eandem cohortaretur. Ad matutinā concionem pomeridiana sacrarum litterarum lectio addita est: utraque auditorum frequentia celebratur. Magna porro est apud Perusinos de nostrorum scientia, & integritate opinio, quod vel id unum declarauit: cum enim in quadā stipulatione necesse esset, ut aliqua pecuniæ summa appareret, unus è nostris à proximo mercatore eam mutuam rogauit; qui statim plenis manibus bonam pecuniæ summam, nec numeratam quidem dedit, relatamque eodem modo in scrinium condidit; Societatis nostræ exercitijs duo sunt exculti, unus Prælatus, qui huius rei caussa Roma venerat, iuuenis alter illustri familia natus. Ex congregatiōne Beatæ Virginis

B 4 in

in Societatem admissi sunt septem; in ijs adolescentulus quidam, qui à parente retractus in Patriam, paulo post inde fugiens Romam se contulit. Septem alij ad alias religiones se se aggregarunt.

COLLEGIVM TIBVRTINVM,
& Recinetense.

TEmpli Tiburtini ædificatio hoc anno primū cœpta est, sub cuius initium magna in nos inuidiæ fuit concitata tempestas, quæ tamen die tertio per se concidit: eo tempore nostri patientia, & modestia non modo cæterorum, sed illius etiam, à quo fuerant omnia turbata, sibi animos non mediocriter adiunixerūt, primus lapis ab Episcopo sollemini ritu positus est 8. Id. Iulij, quo die eodem ad lætitiam cumulandum magni momenti pax, in quam viri nobiles multi frustra se se interposuerant, ad exitum est perducta à nostris; Iuuenis quidam nobilis, cū nostrarū scholarū, atq. discipulorū otium turbaret, in carcere ductus est. is licet certo sciret, nostris postulantibus in carcere se teneri, tamen ubi primum exiuit, ad nos venit, gratiasque egit; ac sacerdoti de nostris confessus, emendatiorem vitæ rationem instituit. Cum Estensis Cardinalis in pauperes ægrotos eleemosinas quasdā distribuere constitueret, voluit, ut eosdem nostri inuiserent, fructusq. ingens per eam occasionem confessionibus audiendis partus est. Ciuitas etiam ad campanam coemendam aureos centum nobis dedit. Profectus unus de nostris in vicinum castrum, plurimos induxit, vt male parta restitue-

restituerent: redditaque sunt legitimis dominis ex fraudata pecunia aureorum circiter duo millia. Cardinalis Estensis Turcam ad nos misit, quem fidei Christianae rudimentis imbueremus; is post aliquot menses instructus, baptizatusque, narrat se, dum aqua salutari ablueretur, mutatione quadam admirabili mutatum esse, quam cum ipse sentiat, negat tamen verbis explicare se posse cuiusmodi sit: significat autem magno se tunc gaudio perfusum, sic ut cum infirmo imbecilloque corpore esset, repente valens, firmusque sit factus: Quod pluris est, ad eam morum sanctitate est conuersus, ut comites eius quidam iisdem olim erroribus implicati nunc vero ad Christianam religionem traduci, ipsum tanquam virum sanctum suspiciant.

Recineti hoc anno Beate V. M. sodalitas instituta est, ex qua eundem fructum, qui solet ex huiusmodi cœtibus, speramus. Doctrinam Christianam explicandi mos renouatus, ac diebus festis, Pater unus fratre comite, puerorum agmen canentium sub vexillo per urbem educit, qui per speciem interrogandi pueros, grandioribus etiam ad salutem necessaria tradit. Ciuitas cum daturam se nostris hoc triennio aureos septingentos decreto publico statuisset, primam pensionem hoc anno soluit. Fundator item in tabulam pi-

ctam aureos octoginta largitus est: ad alia quoque ornamenta comparanda,
multi multa contulerunt.



PRO-

PROVINCIA SICILIENSIS.



ONFICIT Provincia Siciliae domicilijs decem ducentos nonaginta de Societate, In Collegio Messanensi octoginta, in Domo Probationis Messanensi septem, & triginta, In Collegio Panhormitano sexaginta, In Siracusano, & Catanensi vicenos in singulis, In Collegio Montis regalis vnde decim, In Biuonensi vnde uiginti, In Calactensi viginti tres, In Regino sexdecim; uno minus in Drepanitano. His breui Domum professam accessuram speramus, cuius rei magna hoc anno initia, et fundamenta sunt iacta, edibus amplissimis in urbe media coemptis, quae minimo negotio videtur ad nostros usus reconcinnari posse: pro ijs aureorum octo millia soluta sunt. In Societate adscripti sunt hoc anno tres, et viginti. Extremū vero spiritum Deo reddidere sex.

COLLEGIVM MESSANENSE.

Messanæ aurei mille ducenti ex fraudata pecunia, suasu nostrorum, redditu sunt: multi à perditis moribus reuocati. Quidam cum ex desperatione veneno sibi mortem inferre cogitaret; nostrorum consilijs à meditato scelere deductus est, factaque confessione, ad animi tranquillitatem traductus. Mulieres multæ turpem ritam agentes, conquisitis eleemosinis, in honesto matrimonij statu collocatae: aliquot etiam ad religionē animum applicarunt. ex his una cum annos tres in concubinatu vixisset, atque ad extremum dæmone correpta esset; ab nostro Sacerdote liberata, confess-

confessioneque expiata, ab ipso concubino ducta est in matrimonium. Instituta hoc anno est virorum Congregatio; multique iam ex prima nobilitate nomina dederunt: plures, cum itidem ut admittantur petant, loci tamen excluduntur angustijs. Adolescentium discipulorum sodalitum aliquot ab hinc annis intermissum, hoc anno repetitum est. Vtraque autem maiorum, minorumque Congregatio magno studio in pietatem incumbit: a maioribus etiam horarum quadraginta supplicatio est indicta. Ciuitatis liberalitatem, & alidas superioribus annis, & proxime sumus insigne experti: ad nouum enim templum construendum, ornandumq. aureorum tria millia nobis dedit.

COLLEGIVM PANHORMITANVM.

Panormi eadem fuit, quæ anno superiore Confessionis, Communionisque nostro in templo frequentia; fructus paulo etiam uberior. Vir peracta generali confessione trecentos aureos restituit, quos ut redderet, quadraginta ipsis annis nunquam adduci potuerat. Mulier per annos tres concubinatu irretita, toto eo tempore nunquam criminis expiauerat: sed ne morti quidem proxima resipiscere velle videbatur; admonitaq. de confessione a suis, negabat ullius se criminis conscientia sibi esse. haec tandem nostri Sacerdotis oratione permota, magno cum animi sensu generalem fecit confessionem, pieq. admodum vita functa est. Alia mulier, cum dæmoni sese mancipasset, annos quinque, & triginta in flagitijs inauditis volutabatur; haec annis octo nostrorum templum eo consilio frequentauit, ut eos ad flagitium aliquod induceret:

tandem

tandem cum ad se rediisset, generali confessione crimi-
nibus absoluta, nouum, atque Christianum ritus & genus
complexa est. Quidam multis sceleribus, ac nefandis
haereticorum blasphemis implicitus, non solum gene-
ralem confessionem fecit, sed etiam sua ipse sponte sti-
tit se se religionis quæsitoribus, & cum Ecclesia re-
conciliatus est. Matrona nobilissima cum periculose
ægrotaret, nullum de morte sermonem auribus admit-
tere volebat: unius autem de nostris abdicatione ad
eam æquitatem animi, & contritionem est deducta, ut
etiam ad circumstantem nobilium multitudinem, ora-
tionem pietatis habuerit plenissimam, quæ lacrimas
tam subita mutatione plerisque excussit: atque in eo
sensu paullo post mortua est. Mulier nostris multos
iam annos confiteri solita, cum partus difficultate ad
extremum ritus periculum deuenisset; nostrum Sacer-
dotem iussit aduocari, ut super ipsam Euangeliū S.
Ioannis recitaret: eaque fuit mulieris pietas, fidesque,
ut cum ad illum locum Verbum caro factum est Sa-
cerdos peruenisset, ipsa facillime partum reddiderit.
Infans Regni Tunisei, per menses quatuor Christia-
no cathechismo instructus à nostris, summa cum appa-
ratus magnificentia, Archiepiscopo, & Prorege inspe-
ctantibus, baptizatus est: quem mense post, eius pæda-
gogus institutus similiter à nostris secutus est. In illa
commendatione Anglorum, quam Pontifex maximus
ad omnes Christianos Principes misit, nostri aureorū
2000. corrogarunt.

COL-

COLLEGIVM SIRACVSANVM,
& Catanense.

Siracusis toto fere anni spatio, Sacerdos unus coacta puerorum multitudine, ubi ciuitatem lustrauerat, in templo nostro Christianam Doctrinam populo explicauit, Mulier quaedam in monasterio colloquata per nos tres est, cuius soror fuerat imperfecta, idemque periculum ipsi imminebat a suis. Congregatio B. Virginis floret in dies magis: ex ea ad Societatem transiere tres; quorum unus est prima nobilitate adolescens patri carissimus ad quem multorum millium aureorum spectabat hereditas, varie oppugnatus a suis, qui eius consiliu ad pedes accidentes morari conabantur, insigne semper animi robur, ac virtutem ostendit. Catanæ confessiones generales auditæ sunt septuaginta. Mulierculæ aliquot a flagitiosa uita reuocatae quarum una ad religionem se contulit; dictaque illi dos est ab ipsomet concubino. Vxores duæ cum a suis maritis fugissent, nostrorum opera cum iisdem reconciliatae. Ad inopum miseriam subleuandam, nostri aliquoties stipem a populo coegerunt. Tres hoc anno de nostris in vicina loca de more missi sunt; neque sine fructu: unus enim amplius tria millia hominum Christi corpore refecit: inter filium, Patremq. pacem constituit, qui multis iam annis inimicitias inter se gerebant, filiumque induxit, ut inspectantibus universis, veniam a patre peteret.

COLLEGIVM CALACTENSE.

Socij Calactenses sub aestatem multis, ac periculis morbis ægrotarunt; ex quibus duo magna de cœlesti

celesti fælicitate spe præcepta, vita decesserunt. Eo tempore ciuitatis amor in nos, & benevolentia multo quam ante illustrius perspecta est: nam præter quam quod lautam eleemosinam Collegio dedit; nostros eiam vita functos, dum ad templum efferreretur, prosecuta est: iussitque ut campanis in omnibus templis signum funebri pulsu daretur. Clerus quoque, Carmelitæ, & Capuccini vltro nobis, magna cum amoris significatione ad psalmodiam funebrem decantandam adiutores venerunt. Ea vero res ciues maxime ædificauit; quod cum domi tam multos ægrotos nostri haberent, foris tamen suam operam, & consilium nulli denegarent. Quidam cum multos annos Confessionis Sacramento caruisset, atque in posterum etiam carere constitueret; nostrorum hortatione mores mutauit, Sacmentaque iam frequenter obit. Bacchanalibus populum noster adhortatus est concionator, ut horarum quadraginta suppliatio indiceretur; qua, Deus tot eorum dierum sceleribus irritatus placaretur. quam rem ciuitas, & libenter suscepit, & singulari animi ardore exsecuta est. Quadragesima tempore tres de nostris in oppida vicina profecti, Societatis munera insigni: cum fructu exercuerunt: sic ut duo oppida præsentis fructu commota, ad Societatis Collegium construendum omnia pollicerentur; idque datis ad P. Generalem litteris contenderent.

COLLEGIVM DREPANITANVM.

A Ger Drepanitanus nouellus est, anno superiore coli primum cœptus: cæterum, ut proximis litteris

teris ad vos scripsi, opimus, ac fertilis. Quidam cum animum, corpusque suum Dæmoni tradidisset, annos septem omnia ad eius arbitrium faciebat: is dum concionem in nostro templo audit, repente commotus, confessionem generalem fecit, vitamque homine Christiano dignam ingressus est. Eadem ratione alter est à magicis artibus deterritus. Pacificationes inter multos conciliatæ, inimicitiaeque sublatæ; quarum alteræ inter familias nobilissimas exortæ, duas in partes ciuitatem distraxerant: nostrorum tamen interpositu, alterius factionis princeps iniurias omnes remisit, nostroque in templo inimicum palam complexus est: Turcæ duo Christianis præceptis informati sunt à nostris; qui tandem baptizati laudabiliter viuunt. Conciones nostro in templo ea populi frequentia, & concursu celebratæ sunt; ut, cum loci angustijs plurimi excluderentur, coatus sit noster concionator, ciuitatis rogatu, in Fratrū S. Augustini templo concionari. Alij tres in totidem vrbis plateis conciones habuerunt; ad quarum unam plus duo millia hominum conuenire consueuerant. Institutæ sunt etiam in Collegio Congregationes duæ, altera discipulorū, altera virorum: utriq. magnos in pietate, virtuteque faciunt progressus.



PRO-

P R O V I N C I A
NEAPOLITANA.



ABET Neapolitana Provincia Societatis loca sex; socios ducetos virginis duos. in Domo Professa Neapolitana quatuor sunt, & quadraginta, in Collegio Neapolitano duo, & octoginta, in Nolano quadraginta tres, in Catacensi, & Alethino: uiceni bini, Cirinolano quinque. Ad Societatem transiere unus, & triginta. Diem suum quinque obiere.

D O M V S P R O F E S S A
Neapolitana.

Spiritus Domus professæ status magnum hoc anno cœpit incrementū, domi de pīs rebus collationibus institutis: qui fructus etiam in proximos redundauit. Tres, & viginti de nostris, Quadragesimæ tempore, alij alio concionū causa dimissi sunt: qui autem in urbe constiterunt, ex ijs tres habuere conciones, qui iudicio omnium doctrinæ, pietatisq. primas retulerūt. His concionibus cum fructus alius partus est plurimus, tum inductus quidam, ut cum vetere inimico rediret in gratiam; idq. etiā concionatoris voce voluit prædicari. quo exemplo incitata mulier quædā, odiūm, quod sextum iam annum ob filij cædem gerebat, sponte depositit. Alius necem sororis remisit. strenuus item miles cum fuste à commilitonis sui famulo fuis-

set

set petitus; iniuriam omnem nostris deprecantibus concessit. Aeris restitutiones factæ permultæ: quarum vna duum millium aureorum fuit. Meretrices quindecim ad honestatem traductæ. Templo preciosa aliquot ornamenta collata; in his aræ vestis argentea auro intextæ, centum quinquaginta aureorum precio, ab Duciis Vrbinatis filiis Bisiniani Principis uxore donata est. Sacerdos quidam æstate in Montem Leonis profectus (oppidi nomen id est) cum alia multa præclare, tum sodalitatem ad prauam iurandi consuetudinem tollendam instituit. eius sodales hanc sibi ipsis legem indixerunt, ut si quando palam temere iurauerint, pœnæ loco terram illico in publico deosculentur: quæ lex ab ijs sanctissime seruatur. Patris etiam eiusdem opera. & labore, pax inter duos præcipuos Calabriæ Regulos conciliata est.

COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

NEque minor ad pietatem accessio ijsdem spiritualibus collationibus in Collegio Neapolitano facta est: ex quibus quo fructus maior colligeretur, ipsum Collegium duas in partes distributum est; curatumque, ut rerum spiritualium Præfector d' reliquis occupationibus liber, in vnam fratrum utilitatem, ac progressum incumbat. Instituta etiā, vel renouata potius est Doctrinæ Christianæ schola, ad quam festis singulis diebus magnus fit hominum concursus; quibus non solum Christianæ fidei elementa, sed etiam ratio traditur precandi Deum; opportunaque cohortatione

tione ad Sacramentorum frequentiam excitantur. Congregationes maiorum, minorumque melius habuerunt nunquam: eius tamen quæ à Conceptione B. Virginis Mariæ nomen accepit, singularis existimatio est; atque ita multi sunt, qui nomina dare velint, ut facelum iam eos non capiat. quater hoc anno quadraginta horarum in priuato facello habita ab ijs est supplicatio: triginta circiter ex ijs in varijs religiosorum familijs Deo sese dedicarunt.

Ex hoc Collegio missiones factæ sunt duæ, altera Barulum, Andriam altera. Baruli cum multa è re diuina gesta sunt, tum impulsus quidam, ut inimicitias deponeret, quas intimo odio, & corde annum iam septimum gerebat. Andriæ vero non solum conciones habitæ; sed etiam casus conscientiæ explicati, atque de ijs inter Clericos collationes introductæ. inter laicos autem instituta sodalitas est, in quam adscripti qui sunt, ij decimo quinto ad summum die communificant: atque cum alijs pietatis muneribus, tum hominibus pacificandis diligenter inuigilant.

COLLEGIVM CATAENSE & Aletinum.

CV M anno superiore Antistes Cataensis defunctus esset, in eius locū Bononiensis Vicarius, vir prudentia Doctrinaque insigni, Paleotti Cardinalis alumnus est suffectus. is & nos amat plurimum, & postridie quam vrbem inijt, summo mane ad Collegiū venit humanitate, ac benevolentia singulari: neque aggreditur quidquam non consulto Rectore. concioniibus in templo nostro frequens interest; interdum etiā

Eucha-

Eucharistiæ sacramentum populo administrat: idem nostrum concionatorē, qui fidei Christianæ capita multitudini edisserat, habere voluit. quid multa? eius omnia in nos benevolentiae summæ officia ita constat, ut à nullo maiore benevolentia desiderare possimus. Quā eandem benevolentiam ciuitas præstat: cū enim ē nostris quidam esset mortuus, ciuitas vniuersa vestē mutant, funusque lacrimis, & omni officio prosecuta est: ad horologium quoque fabricandum sumptus attribuit. Magistratus propterea, & Antistes coniunctis studijs P. Rectorem adiere, orantes, vt discordijs tollendis, pacificationibusque confirmandis cum Episcopo operam daret. Fratres Dominicanī cum ea in urbe suos conuentus haberent, Theologiæ quæstiones, ut mos est, per triduum proposuerūt: quibus in disputacionibus nostri (neq. enim aliis quisquā disputādi caussa apparuit) apud Fratres comitatis, apud reliquos etiā. Doctrinæ laudem retulerunt. Societatem iniere duo; quorum alter eius rei caussa plurimum est à parentibus vexatus; initio enim miscentes precibus minas, in omnes partes versarunt adolescentis animum: ubi constantem vident, scholarū nostrarum aditu interdicūt; addunt insuper vincula, ne quō ipsis iniurias aufugiat. cum autem adolescens in omnem occasionem intētus, fugam aliquando Neapolim versus cœpisset; mater misit statim, qui eum à fuga retraherent: ipsa vero doloris impatiens, suique impotens ad nostrum templo venit, omniaque eiulatu, & vociferatione compleuit. paucis interiectis diebus filius aliam rursus fugiendi nactus opportunitatem, nauī, ne facile

C 2 ad inse-

ad insequendum parentibus esset, Neapolim contendit: neque multum absuit, quin ille paterni affectus, ac blanditiarum domi victor, Neapoli socrorum, quos parentes subornarunt, insidijs, ac fraude caperetur: verum, quæ Deo gratiæ sint, mature cognita fraude, euasit.

Aletij iuuenis quidam, cum inimicum interficere omnino constituisset, nostrū templum forte præteriens precatum introit, diuinitusque repente permotus, ad Confessarij pedes accidit, omnemque vltiscendi furorē abiicit, pollicitus sacramenta sese in posterum frequenter obiturum. Oppidi cuiusdam incole cum à Domino multos iam annos dissiderent, ad concordiā, obediētiāque per nostros rediere. Christiana Doctrina duobus in templis traditur, pueris ita libentibus, vt plerique non solum ipsi conueniant, sed etiam parentes pertrahant. Duplex quoque Congregatio maiorum, minorūque instituta est, ex qua, vt se dant initia, fructus speratur uberrimus.

COLLEGIVM NOLANVM.

Collegio Nolano Domus est adnexa probatōnis, cuius tirones aliquot, dum sese ad Societatē conferunt, multa, & grauia sustinuerunt. Ex ijs vñ Societatis cupiditate flagrantem P. Provincialis, antequam ipsum in Societatem reciperet, rem iusserat prius cum graui aliquo viro communicare, quo scilicet teste, si opus esset, planum fieri parenti posset, filium à nostris no fuisse deceptum. Is animum suum Præsulū simpli-

simpliciter aperuit, qui multa sciscitatus ab adolescēte, tandem ipsum ad nos cum cubiculario remisit: sibi que placere dixit adolescentem in Societatem admitti. Parentes contra negare, vociferari proditum se, filiumque sibi per fraudem eripi, adeo ut adolescens Episcopo iurare sit coactus, eam se mentem nullius mortalis persuasu, sed vnius Dei impulsu suscepisse: patremque obiurgauit, quod perinde ac puer lacrimas tenere non posset. Paucis diebus post cum adolescentis (ut nouiorum mos est) pro inclusis in carcere stipem cogeret vicatim, ædesque paternas casu præteriret; pater factus obuiam filio, simulavit motum illum animi deferuisse, filijque consilium sibi iam vehementer probari; ad extreum vi eum retinere apud se voluit: filiusque ægre ab insani parentis manibus evasit; testatusque est, si sic perget agere, cum se deinceps patris loco non habiturum. Eadem fuit alterius adolescentis Neapolitani nobilissimi constantia, qui cum inscijs parentibus in Societatem receptus, Nolamque missus esset; posteaque graues ob caussas suis redditus, acerbissime est oppugnatus. Quam pugnā adolescens cū animo prospiceret, in itinere dum Nola Neapolim redit, ad eam sese comparauit, assidue meditans quid furenti patri, quid matri blandienti responderet, comitem de nostris vnum rogans identidem, ut patris personam tantisper susciperet, ut vicissim instando, ac respondendo sese ad resistendum magis acueret. Hac animi præparatione cum in vrbis conspectū venisset, certior factus est, portam vtitatam vrbis obsideri à suis, vi ipsum venientem exciperent: quare porta alia

C 3 vrbem

urbem ingressus, occultis itineribus Domum Professā ad P. Prouincialem recta se contulit. P. Prouincialis adolescentis parentes statim ad se euocauit, eisque filium tradidit orantem, atque obtestantem, ne se certissimo periculo obijcerent: his autem legibus tradidit, ut quindecim dies adolescentem apud se haberent, eiusque consilium explorarent; cum eo tamen, ne eum male ob eam caussam acciperent, neue aliquò amandarent. Vbi adolescens in parentum fuit potestate, grauissima cœpit oppugnatio, quæ perpetua ut esset non solum dies, verum etiam noctes; coegerunt parentes filium in eodem conclaui dormire, altercationesque ad medium vsque noctem plerumque producebantur. Itaque adolescens aliquando, cum parentum custodiam sefelliisset, ad Archiepiscopum profugit; eique in conspectu plurimorum nobilium ad genua aduoluitur. Archiepiscopus rei nouitate commotus, surgit è sella, atque adolescentem dicere incipientem interfatus, in proximum cubiculum seducit, queritque ex solo, quid acciderit. exponit ille, quid à parente religionis caussa patiatur: orat, cum nostris agat, ut in Societatem recipiatur. Archiepiscopus adolescentis animum confirmauit; pollicitusque est eam sibi rem curæ futuram: sed grauiores curæ facile Archiepisci animum ab ea, quæ leuior videbatur, auerterunt. Interea Domi crescebant adolescenti molestiae: cumque domestici satis esse non viderentur, foris submittebantur, qui eum de sententia deducerent. verum ita accidit, ut omnes qui eum de religionis proposito depellere sunt aggressi,

gressi, aut sententiam ipsi mutarent, aut victi confusique abirent. Cum audiente patre, quidam hortarentur adolescentem, parentibus ut pareret, negauit se parentum numero habere eos, qui se ad Christi famulatum properantem morarentur. tum pater vociferans, Deceperunt te, inquit, Iesuitæ: quippe aliquot aureorum millia spe deuorarunt. Falsum, inquit, ille: aduocetur, si placet, Notarius aliquis; ego protinus cui iussiris, diuitiarū omnium spe, possessioneque cedam. Adamarunt, pater ait, ingenium tuum. scilicet id primum cum Patribus Societatis pactus sum, ut patinas eluam perpetuo. Nimirum bestia es, inquit pater: ideo circa huiusmodi te seruitio destinarunt. At modo me, filius ait, propter ingenium adamatum dixisti: pugnantia te loqui non vides? Isane, pater inquit, tamen in isto proposito non perstabis. Undecimum iam mensem hanc ego mentem suscepi, filius ait; Et confido qui mihi ad perseverandum vires adhuc suppeditauit Deus, eundem in posterum mihi non defuturum: utque intelligas, quam nihil mei me huiusc consiliū peniteat; iam nunc Deo, coram B.V. Maria, curiaque cœlesti vniuersa, perpetuam vœo castitatem, meque Societatem ingressurum, ut in ea viuam, ac moriar. his auditis, pater confusus, ac mœrens discessit. Alio tempore minitanti patri sua se illum manus obtruncaturum; respondit, ut illud ficeret, illud certe non effecturum, quin membris alijs alio dissipatis, ad Societatem Iesu cor aduolaret. Cum aliquando pater commemoratione ludorum, & spectaculorum, quæ in novi Proregis aduentum

C 4. appara-

apparabantur, filij animum titillaret: quæ spectacula,
inquit ille, qui ludi quotidie Nol&e spectantur? cum alius lucernam, scopas alius manufert, alius mensis ministrat, alius patinas eluit. Durauit contentio hæc ad undecimum usque diem. quo die cum mater de Societate nescio quid secus diceret, filiusq. liberius matris dicta refelleret; iratus pater ita pugnis, calcibusque eum cœcidit, ut, nisi tumultu exciti fratres patruelis duo accurrissent, interfectorus eum fuisse omnino viseretur: adolescens autem postea affirmauit, nunquam se maiorem animo cœpisse voluptatem. itaque cum ipsum pater post verbera in cubiculū sine lumine, lectoque inclusisset (non enim erat) illico genibus positis ingenti cum letitia Deo gratias egit, quod pro suo nomine illa pateretur. Vbi illuxit, pater pallium, calceosq. filio eripit, manicasque, ut eum constringat, poscit: sed accedit per opportune, ut eo ipso tempore magnæ auctoritatis vir domū ingrederetur; cui dum pater dat operam, filius fratri patruelis calceis, pallioque sumptis, cursu ad Collegium contredit. P. Provincialis cū, quæ contra pactorum fidem adolescens passus est, cognouisset; eum in Collegium recepit, dieque altero Nonam ad Novitiatum misit.

Alius adolescens cum inscientibus domesticis iteri se Neapolim versus dedisset, eo consilio, ut ad Societatem aggregaretur; à parente, qui ad septuaginta millia passuum fuerat insecurus, in patriam retractus est. is tamen opportunis, importunisque precibus apud patrem, & Episcopum usus, tandem à patre assensum abstulit: quin etiam pater ipse, religione aliqua credo inductus,

inductus, litteras ad P. Provincialem dedit, rogans, ut filium in Societatem admitteret; venturumq. se Neapolim, si opus sit, ut sua præsentia filij commendationem iuuaret.

COLLEGIVM CIRINOLANVM.

Collegium Cirinolanū ante aliquot annos inchoatum est: interea dum perficitur, quatuor de nostris in eo munera Societatis exercent. Templum magna ex parte constructum est; in eo casus conscientiae explicantur, ad quos præter Clerum vniuersum, alia quoque ciuium conuenit multitudo. Ex eo Collegio tū in cætera oppida, tum Barium Sacerdos unus euocatus est, ut nobilibus duobus capite damnatis præsto esset. quo in munere ita se Pater gesit, ut ciues de Collegio exstruendo cœperint cogitare. Ciuitas quingentorum aureorum annum rectigal constituit: ad quam summam ciues duo copiosi homines addunt in annos singulos aureos ducenos: ad sedem autem, situmq. coendum, aureorum duo millia deposita sunt. Archiepiscopus domum donauit nostræ quam coemimus continentem: neque desunt alij, qui ad supellectilem domesticam comparandā lautas eleemosinas suppeditēt.

Castrouillæ per Quadragesimam Sacerdos unus concionatus est. is graues inimicitias restinxit, quæ inter duos ciues primarios exarserant; eorumque alterum, cui facta fuerat iniuria, induxit, ut palam inimum complectetur. Duos, & triginta concubinarios (tot enim eo in oppido fuere) impulit, ut concubinas vel

nas vel dimitterent, vel in uxores legitimas duceret:
 Unus tamen ex eo numero repertus est homo flagitiosissimus, qui Salutaria Patris monita animo semper
 obstinato respueret. hunc erectum, atque alacrem fo-
 ro medio vagantem lapis ingens XXX. pondo (incer-
 tum, cuius incitatus manu) de caelo cecidisse creditus
 est, ad terram afflixit, atque prostrauit: quo ille
 casu triduum omnibus sensibus captus ia-
 cuit; quarto die cum tandem ad se
 reduisset, Patri confessus, ma-
 trimonio cum concubi-
 na coniunctus
 est.



PRO-

P R O V I N C I A
MEDIOLANENSIS.

ABITANT in Prouincia Mediolanensi locis septem, centum, & nonaginta de Societate. in Domo Professa Mediolanensi quinque, & viginti, in Collegio Brerano octo, & sexaginta, in Taurinensi viginti, in Ianuensi triginta, in Comensi duodecim, in Vercellen-
si sex, in Domo Probationis Aronensi viginti. Ad So-
cietatē sūt adiūcti quatuordecim. Morte erepti tres;
in his P. Antonius Pignolatus Comensis Collegij Re-
ctor, qui veluti præsentiens, id quod accidit, fore ni-
mirū ut ipse breui vita decederet, diebus aliquot ante
diligenter se ad mortem comparauit; Deumque roga-
uit, ut celeri aliquo mortis genere de vita tolleretur.
haud irritæ preces: Pascalibus enim ferijs cū animo,
corporeque valeret, subito morbo correptus, semiho-
ra post extinguitur.

D O M V S P R O F E S S A
Mediolanensis.

MEdiolani lætissima fuit hoc anno rerum spiri-
tualium messis; plurimique à grauissimis scele-
ribus ad Christianos mores, vitamque traducti; unus
etiam hæreticus cum Ecclesia reconciliatus. Quidā qui
Sacerdoti vulnus inflixerat, inductus à nostris est,

ut excommunicationis, qua se ipsum obstrinxerat, publicam absolutionem, penitentiamque subiret: quod ut faceret, neque aliis quisquam ab eo, neque adeo ipse ab se potuerat impetrare. Mulier quædam, quæ à prima ætate turpitudinis caussa fuerat abducta, nostrorum consilijs non modo flagitosam illam vitam reliquit, sed etiam piam, religiosamque secuta, in ea laudabiliter perseverat. Eadem quoque opera meritrix publica ad legitimas nuptias, & insignem morum mutationē reuocata: Mulierculisq. alijs duabus præcisa peccandi facultas, & in tuto, honestoque loco posita. Vir nobilis pellicem, quam vxori induxerat, à se eiecit, & cum uxore in gratiam rediit. Iuuenes duo non ignobiles cum virgines totidem matrimonij spe, alijsque pollicitationibus, ad id quod ipsi volebant, induxissent, expletaq. libidine, quod spoondissent non facerent; nostrorum auctoritate, & ij pactum seruarunt, & incendium, quod ex ea iniuria extitisset, matre oppressum est. Alius cum annos multos confessio- ne esset abusus, ea demum facta, tantam animo cœpit lætitiam, ut Deum precaretur, ut quam primum vita decederet: vix horæ duodecim ab ea preicatione intercesserant, omnibusque stupentibus vita ille sanctissime functus est. Duo qui antea nostræ Societati iniidores videbantur, ex calumniatoribus mirifici facti sunt laudatores; eique iam ipsi Sacerdoti, cui præcipue erant infensi, peccata crebro confitentur. Quinque rebus sæcularibus nuncio remisso, alijs ad alias religiosorum familias se contulerunt. Virgines octo Cœnobio, perpetuæque virginitati se ipsas dedicarunt.

Adolescens

Adolescens honesto loco natus, moribus tamen minus commodis, facta generali confessione tantam morum facilitatem, ac religionem induit, ut eius vita consuetudo omnibus admirationi, exemploq. esset: ad extremum etiam Capuccinorum religionem cœpit meditari. sentit hoc mulier perdiues, ac nobilis, quæ adolescentem perdite amabat, eiusque coniugium spe præcepit; omniq[ue] artificio ab ea cogitatione adolescentem auertere conatur. mittit munera plurima, maximaq. ad eius animū sibi conciliandū; viros grauissimos submittit, qui matrimonij mentionē faciant; ipsa bonorū se illi omnium liberam possessionem daturam pollicetur. Vbi hæc nibili facere præ animi sui salute adolescentem videt; animo ægra, amoreque sæuo faucia, ut inquit ille, mortem sibi inedia consiscere statuit. Iam quartum diem sine ullo cibo traduxerat mulier, cum adolescentis confessarius, aduocata ad se muliere, ius sit eam bono animo esse, fore ut adolescens religionis consilium in aliud fortasse tempus differat (id enim ut saltem sibi concederetur, mulier petebat) ipsa interea sacram confessionem frequentaret, suasq. in Deo spes omnes collocaret. Quid multa? confessionis sacramento, sic ardor ille insanus mulieris deferbuit, ut suimet ipsam puderet; veniaq. furoris petita, vltro faceret adolescenti religionem ingrediendi potestatem. Adolescens ea cura, molestiaque liberatus alacer, & expeditus ad Dei famulatum euolauit. Inter multos constituta pax est, ac discordiarū sublatæ occasiones, præcipue inter viros nobiles duos, ex quorum inimicitijs graue ciuitati scandalum imminebat. Tribus gladij sunt

sunt extorti de manibus, quos in inimicos iam strinxerant: tertius etiam aduersarium conuenit, omnesque iniurias illi condonauit. Familiae quædam, quæ domesticis seditionibus laborabant, ad mutuam sunt concordiam renocatae. Tres fratres, materq. cum annos tres turpiter inter se litigassent, nostrorum interpositu in gratiam rediere. Mulier ob mariti cædem eam conceperat desperationem, ut mensibus septem in cubiculo inclusa, lacrimis, ac mærore se ipsam conficeret: tandem cum ad nostrum templum venisset, confessionemq. generalem fecisset; sic omnis illa nubes doloris dissipata est, ut plane alterā se mulierem esse confiteretur: itaq. se rerum spiritualium studio dedidit, ut octauo quoq. die expiatis rite criminibus Christi corpus cum uniuersa familia suscipiat. Solent etiam nostri præsto esse ijs, qui capitis damnati ad supplicium deducuntur: quo in genere id in primis accidit ad Dei gloriam insigne. Cum enim quidā propter homicidium in carcere esset coniectus, vi tormentorū multos familie nobilissimæ viros eius rei cōscios, auctoresq. nominauerat, qui rebus suis timentes, hominem, ut confessionem illā retexeret, grandi pecunia sollicitabant: factionis similiiter aduersæ principes, ut in ea confessione persisteret, immani sponsione contra licitabant; adeo ut miser eo etiā tempore, quo ad supplicium ducebatur, valde esset anceps vtrā in partem se daret. Et quoniā reum in nostri Sacerdotis potestate futurum partis vtriusq. principes videbāt, qui eum in extremo illo tempore confirmabat; ideo ipsum quoque magna pecunia tentarunt: verum, Deo bene iuuāte, ita rem totā egit. Pa-
ter,

ter, ut neque officio ipse suo deesset, & ab utraq. fa-
ctione gratiam iniret. Eadem caritatis officia præsti-
tere ijs, qui in publico valetudinario sunt; à quo offi-
cio nonnullæ magistrorum illius domus suspiciones
nostros adhuc prohibuerant: nunc autem vltro ab ijs
inuitamur, vt in ægrotos ea, quæ nostræ Societatis
propria sunt, exhibeamus. Sacrarum Virginum mo-
nasteria confessionibus, concionibusque plurimum no-
stris iuuerunt, duo potissimum, quorum virgines decre-
tis quibusdam Boromæi Cardinalis ita furebant, vt mo-
nasterium (quemadmodum ipse virgines loquuntur)
dæmonum sedes videretur, cum enim generali confes-
sione omnes à duobus de nostris essent expiatæ, ad in-
credibile quandam animi tranquillitatem rediere, sic,
vt gratias nobis agere non desistant. Idem fructus ex
alio monasterio perceptus, ad quod cōfessionum caus-
sa de nostris duo sunt à Cardinali missi. Atque ini-
tio quidem nostri Monialibus erant suspecti, postea
suspicio omnis in summam obseruantiam, & amorem
cessit. Quam ad rem momenti plurimū aitulit quedā
ex eo numero, quæ cum in leuem morbum incidisset,
purgatis totius anteactævitæ criminibus, monasterij
magistram, aliasque moniales ad se vocavit; eisq. ex-
posuit quanta animi iucunditate frueretur, quamque
sibi à nostro Sacerdote satisfactum esset: Deumque
precata est, vt ea præparatione animi vita discederet.
mirum dictu. sexta hora post, cum Moniales cæteras
ad religiosum officium, Societatemque complecten-
dam fuisset cohortata, spiritum Deo reddidit.

COL.

IN Collegio Brerano rerum spiritualium, & scholasticarū fructus præclare constitūt. tametsi enim ex ea partitione munera, quæ superioribus annis facta est, Domus Professa spiritualia proprie curat: tamen eorum etiam magnam partem Collegium suscipere cogit, tum propter ciuitatis ipsius magnitudinem, tum vero quia cursus ille ciuiū clarissimorum, qui ad hoc templum propter ipsius antiquitatem, nobilitatemque fuit, non tam facile alio potest auerti. Itaque singularis diebus festis magna nobilium confitentium, & communicantium frequentia cernitur. Christiana etiā Doctrina tradita; concionesque tum in carcere, & xenodochijs, tum in monasterijs, alijsque Sodalitatū oratorijs habitæ. Quadragesimæ tempore in vicina oppida concionum caussa iuere nonnulli; in quorum uno atroces inimicitæ Coadiutoris unius opera sedatae sunt, quas viri grauissimi nunquā potuerant. In alio oppido mulieres duæ ab impura, meretriciaq. vita sunt extractæ. Quidam de nostris in patriam valetudinis caussa profectus, controversiā inter fratres duos composuit, quæ nisi mature sublata esset, cum eorum caussa populus esset diuisus, periculum erat, ne pars cum oppidi parte confligeret. Scholæ adolescentium numero, nobilitateq. florent maxime: earum existimationem auxit plurimum specimen quoddam, quod in translatione quinque SS. Episcoporum Simpliciani, Geruntij, Benigni, Ampellij, Antonini; Martyrumq. trium Sisinnij, Martyrij, & Alexandri, Collegium sui

sui ingenij, ac Doctrinæ dedit. Cum enim dies sanctissimi
mis reliquias transferendis dicta esset, totaque vrbis
preciosis aulacis circumuestita, cereis accensis colluce-
ret, hymnis, canticisque personaret; nostri faciem Col-
legij vniuersam carminibus, emblematisque argumen-
to, metroque vario exornarunt. ea res ob sui elegan-
tiam, & apparatum omnium in se oculos, animosque
ita conuertit, ut hominum doctissimorum iudicio vel
principium celebritatis illius fructum retulerit. Quā
eandem ingenij, & comitatis laudem nostri retulerūt
ex ijs carminibus, quibus Dominicanorum Generale
vita functum, fratrum ipsorum rogatu laudarunt. Hoc
etiam anno cœpere nostri Doctoratus gradum (ut vo-
cant) conferre, eoque fratres germani duo è Veneta
nobilitate primi sunt cohonestati: quæ actio tum ob sui
nouitatem, tum quia adolescētes clarissimo loco erāt,
summa nobilissimorum hominum frequentia est cele-
brata. Schola casuum conscientiæ magno auditorum
numero frequentatur; ita ut Cardinalis eius fama
permotus, Clericorum suorum Seminarium, quam Ca-
nonicam vocant, ei voluerit interesse. E nostris audito-
ribus in Societatem sunt adscripti tres; qui eam ob
caussam multa sunt passi ab suis: omnia tamen in ma-
ximam Dei laudem tandem cessere. horum unus parē-
tes initio, ut fit, ipsius consilio repugnantes ita ratio-
nibus conuicit, ut ad gratias ob eam rem Deo agendas
ipsi cū familia vniuersa communicarent. mater etiam
cum in Collegium una cum cœteris liberis venisset,
sumpto iterum Christi corpore, eum Deo animo liben-
ti obtulit. Alter Ticino clam parentibus ad Noui-

D tiatum

tiatum fuderat, quem pater cum fratre, & patruo inse-
cetus, ut eum à proposito auerterent; ita primo con-
gressu commoti sunt, ut eius consiliū vehementer lau-
dare inciperent, domumque reuersi familiæ mores cor-
rigerent: pater etiam eas litteras, quas ad ipsum fi-
lius è Nouitiatu dederat, typis mandauit, & ad con-
sanguineos in varias Italiæ ciuitates misit. Tertius
post magnum similiter certamen, & Constantiæ pro-
bationem, cum tandem suis assensum extorsisset, ne
qua forte commutatio fieret voluntatis, clam, ne salu-
te quidem matri ægrotanti dicta, sine viatico domo
ausfugit, & ad Nouitiatum contendit.

DOMVS PROBATIONIS
Aronensis.

ARONÆ magnus datur campus, in quo Nouitio-
rum, qui ibi exercentur, virtus possit excurre-
re. est enim illud oppidum ut à reliquis Ciuitatibus re-
motum, ita plurimis vicis, pagisque proximum; in
quos subinde à Nouitijs, rei christianæ caussa, excur-
siones fiunt. Variæ quoque sacrorum locorum peregrina-
tiones sunt ab eisdem susceptæ; in his duo Varalliu,
quod Aronæ vicinum oppidum est, Sacrorum, que
Hierosolymis visuntur locorum omnium imitatione
celeberrimum profecti sunt; quorum alter viri illius
loci primarij filius erat. Cum autem in oppidum om-
nibus incogniti peruenissent; illud totum de more ob-
ierunt, eleemosinam tum à cæteris, tum vero à suis
emendi-

emendicantes, à quibus agniti non sunt. inde ad publicam hospitalem domum diuerterunt, litterasque patentes domus magistro ostenderunt. Is cum legendi prorsus ignarus esset, litteras ad Nouitij patrum detulit: qui cum lectis litteris, fratris filium in oppidum aduenisse, & in hospitali domo esse intellexisset; ad eū qui litteras detulerat, conuersus, ac mirabundus ita ne? (inquit) Diuus Alexius ad vos diuertit? fratris videlicet filium significabat, qui eo genere humilitatis in patria exercitæ, atque inter suos, Diui Alexij memoriam renouasse quodammodo videbatur. qui autem aderant. D. Alexij nomine auditio, neque mysterij quid subesset intelligentes; existimarunt Diuum ipsum Alexium cælo delapsum in hospitali domo habitare. Itaque cum eius rei fama percrebuisse, plurimi cum patruo D. Alexij videndi studio, ad xenodochium confluxere; ad quos noster frater opportunā habuit orationem, eorumque in pauperes, peregrinosque illiberalitatē accusauit: sic enim acciderat, ut cum totum oppidum circuisset, atque à suis eleemosinā petiisset; vix pauca quedam panis frustra reperiret; quod etiam illis, populo audiente, exprobrauit. Interea pater de filij aduentu certior factus ad xenodochium cum reliqua familia aduolat; filiumque, adhibito etiam, ut facilius impetraret, Parocho, omnibus precibus orare instituit, ut, pauperum domo relicta, se ad paternam conferret. sed frustra: filius enim cum nihil ea de re præcipue in mandatis à Magistro Nouitorum habuisset, nunquam se ab eo loco dimoueri passus est. quare parentes apud filium

D 2 in

in xenodochio consistere, & cibum capere sunt coadi; quæ res in pauperum vilitatem non paruam cef- sit. Cum autem noster frater denuo per oppidum sti- pem rogasset, lautam ab omnibus eleemosinam tulit, quam totam xenodochio dedit; discedensque tum in suorum popularium ardorem exercendi, deinceps in peregrinos pietatem, tum in ægrotorum animis exerci- tæ in ipsos caritatis admirationem reliquit: de quibus unus, cum sibi grauissime ægrotanti pedes fædissimi abluerentur, sublatis in cœlum manibus gratias Deo egit, quod tantam persuos seruos in se ipsum carita- tem exhiberet.

COLLEGIVM IANVENSE.

Trigesimus annus est, cum nostri Ianuam vene- runt; neque toto hoc tempore certam sedem So- cietatis muneribus exercendis habere potuerunt. quo- tiescunque enim id tentarunt, (tentarunt autem sëpif- sime) tanta semper tempestas contra exoriebatur; vt mallent nostri loco omni carere, quam tanta cum ho- minum inuidia obtinere. Ecce post tot annos, cum eius rei spem omnem nostri abiecissent, Parochi D. Am- brosii templum (quod templum foro, palatioque pro- ximum ad Societatis ministeria aptissimum est) vltro nostris, si eo migrare vellent, offerunt: Paræciæ mune ra aliò se translatueros. Nostri cum Superiorum tem- porum procellam meminissent, Parochis gratias ege- runt; rem tentandam non iudicarunt. instare illi, suo se periculo rem confecturos, omnemque tempestatem exceptu-

excepturos. quid plura? rem ad senatum deferunt; is
constituit Senatores duos, qui rem totam cognosceret,
& ad exitum perducerent. itaque cum alio Parochi
migrassent, Nostri communi omnium lētitia in loci
possessionem introducti sunt: id nunc agitur, vt coem-
ptis vicinis ædibus, area tēplo, Collegioque ædificando
magis explicetur. Neque vero defuit de proximis be-
ne merendi occasio: cum enim sit ea ciuitas maritima,
fit sape, vt triremes infectæ morbo illuc appellentes,
magnam vim ægrotorum hominum in xenodochium
exponant, quos omnes confessionis sacramento nostri
expiare solent: quamuis præter hæc tempora ad tri-
remes plerumque adeant, vt remigum, cæteræq. tur-
bæ confessiones excipiant. Itum quoque in carcerem
est, insigni cum eorum qui detinentur ibi, consolatio-
ne, & utilitate. ex ijs quidam cum triremi ad annos
decem addictus esset, facta cōfessione, si Confessarius,
inquit, iuberet me scelerum luendorum caussâ totum
vitæ tempus in triremi esse; libenti animo hanc ego pœ-
nam subirem: atque in carcere adhuc positus ieunijs
se se affligere cœpit pane, & frigida se sustentans: frau-
datas pecunias reddidere nonnulli; in his vñus au-
reos trecentos, alter quingentos. Matrona quædam
illustris tantum ex filij vñici morte dolorem cœperat,
vt ad insaniam pœne redigeretur; quæ cum nullam
animo quietem reperiret, nostrum sacerdotem ad-
uocauit, à quo pristinæ sanitati, ac tranquillitati red-
dita est.

TAurini insolitus fuit hominum ad confessionem, communionemque concursus; quæ eadem frequentia in concionibus visa est, quarum frequens auditor fuit ipse Dux, neque loci angustijs, ac multitudine ab ijs retrahi potuit: quin cum aliquando serius ad templum venisset, temploque referto ægre locum inuenisset, postero die prima luce ad templum venit. Instituta fuit annis superioribus nostrorum opera domus, in quam se reciperent mulierculæ, quæ à meretricia vita ad honestatem redirent. cum autem multitæ quotidie à flagitorum cœno extraherentur, neque domus capere posset vniuersas; egerunt nostri cum viris primarijs, vt proximis ædibus coemptis habitatio tota laxaretur. hæ omnes piorum hominum benignitate sustentantur; à nostris vero ad honestam, christianamq. vitam informantur. Publicus etiam carcer frequentatus est, ac præter fructum reliquum institutum est, vt vinciti omnes ad preces Deo rite fundendas bis in die conueniant. in Ducis autem valetudinario effectum, vt singulis mensibus confiteantur vniuersi; id quod, plerique etiam faciunt frequentius. Euocatur sæpe nostri ad nobilium confessiones audiendas, iuuandoisque eos qui moriuntur. Nonnulli ex ijs qui nostris confitebantur, Christi Domini paupertatem in varijs religiosorum familij seuti sunt. ex eo numero Matrona fuit quedam nobilis, & opulenta, quæ cum amplas facultates, ac promissa reliquisset, eius consilium ciuitas omnis plurimum probauit, atque suscep-
xit.

xiiit. Taurini quædam sodalitas est hominum nobilissimorum, quæ ab ea cura, qua pro religionis integritate excubat, fidei catholicæ nomen inuenit. Hæc præcipua cauſa fuit, ut eam in urbem Societas accerseretur, quare tum grati animi cauſa, tum ob insigneſ vtilitatem, quas illa Dei Ecclesiæ præbet, eam nostri ſicut uentur, ut poſſunt, diligenter. nam præter eam curā, quā ad christianā doctrinā tradendā conferunt, egenis, mendicisque omnibus proſpiciunt, Pietatisq. montem, ut uocant, ſuperioribus annis à nostris pauperum gratia institutum adminiſtrat; in quam rem hoc anno tria millia, & quadrigentos aureos coegerunt. Templo nostri ædificatio urgetur strenue; in eam multæ cōferuntur eleemosinæ: unus enim aureos mille ducen- tos attribuit; alius fortunas suas omnes post mortem relinquere conſtituit, quæ trecenorum circiter aureo rum annum rectigal efficiunt.

COLLEGIVM COMENSE.

Comi Societatis noſtræ apud omnes ordines magna existimatio eſt, magnum nomen. Episcopus enim, & canonici concionatorem, caſuumq. conſcien- tiæ doctorem ut haberent ē nostris, ſummis precibus contendunt: eorum uterq. cum laude, fructuq. ſuo munere eſt functus. Cum quidam uir nobilis quandā pecuniæ ſummam diſſoluſſet, neque ad id probandum, cum aduersarius inficiaretur, testes producere poſſet, magistratus tamen ratam eam habuit, quod unus ē noſtris dixiſſet, uirum illū eſſe probum, & peccata crebro ſolitum noſtris confiteri. Eadē ſunt religioſorum of- ficia, Dominicanorum præſertim, quorum concio-

D 4 nator

nator ea de nostrorum laudibus pro concione dixit,
quæ neque illi agnoscerent, neque sine rubore aliquo
audire possent. Cum P. Antonius Pignolatus Collegij
Rector, cuius initio mentionem feci, in villa subito mor-
bo extinctus esset, neque ciuitatis lege in urbem redu-
ci posset, ut tumularetur; Dominicani vltro suum no-
bis templum, atque inter suos sacerdotes sepulturam
obtulerunt, ac pro eius animæ expiatione, funebre of-
ficium rite persoluerunt, Qui capitis damnantur, ij
ad mortem fortiter perferendum à nostris confirman-
tur; ex ijs duo cum ad supplicium ducerentur, tantam
contritionem, animique firmitudinem præbuerunt, vt
omnes mirarentur. Quidam cum ad falsum in iudicio
testimonium dicendum sollicitaretur, neque id ille si-
ne graui detrimento, ac periculo recusare posset; ex
aliera vero parte religione deterreretur, ancipiti cu-
ra distractus ad Collegium consilij capiendi caussa ve-
nit, Deoque dante ita confirmatus discessit, vt illo con-
uento, à quo ad scelus impellebatur, præcise negaue-
rit vñquam se tam nefario scelere obstricturum. qua-
re ille rabie quadam incitatus, ita pugnis, calcibusque
hominem contudit, vt in eius facie fœda sui furoris
vestigia relinqueret; miser autem, cū ægre se ab eius
furore expedisset, paullo post ad Collegium rediit, gra-
tias agens, tum nostris de consilio, tum Deo quod di-
gnum se fecisset, qui pro veritate illa perferret: ac
millies moriturum se potius professus est, quam sce-
lus vllum in se admissurum. Introducta proxime est
consuetudo pueros, puellasque seorsum christianam
doctrinam in nostro templo docendi: post quorum ca-
techismum

techismum ad viros quosdam nobiles, ac præcipue auctoritatis, priuati de diuinis rebus sermones cum fructu habentur. Mos etiam in ea diœcesi est, ut singulis mensibus ex vicinis oppidis, pagisque presbyteri vniuersi congregentur certo in loco, nodos qui incidunt explicandi, atque inter se conferendi caussa, huic congregationi semper unus aliquis è nostris ipsorum roga tu præest: videnturque presbyteri non parum ex ea re iuuari. Per Quadragesimam singulis Dominicis diebus in vicina loca nostri excurrerunt, in quibus Rosarij, Sacramenti, & Christianæ doctrinæ sodalitates aut nouas instituerunt, aut collapsas restituerunt. Parochi ea quæ sui muneric sunt edocti, inductique ut inter missæ sacrificium concionem ad populum, christianæque doctrinæ explicationem haberent, frequens quoque inter eos sacramentorum usus inuestitus; ita ut multi octauo quoque die crimina expient. tres qui plurimis censuris erant irretiti absolutionem petierunt. Quidam vir scelestissimus à concubinæ consuetudine sese remouit, eamque viuendi rationem exorsus est, quæ maximam omnibus, qui eum nouerant, attulit admirationem. Adolescentes duo cù matrimonij spei ac pollicitatione virgines duas circumuenissent, nostrorum suasu fidem præstitere.

COLLEGIVM VERCELLENSE.

Collegium Vercellense, ut nunc quidem, sui initij paucos habet de Societate maximis tamen occupationibus distentos. nam, & in æde maxima, & in sacrarum

crarum virginum monasterijs conciones habent, Carcerem officij causa inuisunt, mortique adiudicatos ad supplicij usque locum comitantur: Conuentui urbanorū, paganorumq. sacerdotū præsident, qui conferendi gratia quæstiones, quæ de officijs incident difficiliores, celebratur. Congregationes virorum, ac mulierum nobilium christianæ doctrinæ caussa institutæ, nostrorum aduentu, ac præsentia, longe melius ire cœperunt. Bacchanalibus, ut aliquam ab eorum dierum licentia aberrationem inuenirent nostri, christianæ doctrinæ scholas in disputatione, & dialogo habuerunt, præmij donatis ijs, qui se omnium optime gesissent: quæ actio, ob suī nouitatem, puerorumque elegantiam, omnibus qui aderant (aderant autem ex præcipua nobilitate plurimi) mirifice probata est. Classis humanitatis summis Episcopi precibus hoc anno aperta est, habita prius à Mastigro oratione elegantiissima.

MISSIO IN SALVTIOS.

IN Salutijs sex commorantur è nostris concionatores, cum socijs totidem, qui tractus illius oppida discurrentes, tum integrum, incorruptamque religionem conseruant, tum hæreticorum mendacia redarguunt. Illud vero ab omnibus notatum, admirationem merito magnam habet, post-

postquam nostri in eam regionem profecti sunt ,
nullum hæreticum factum esse ; ex hæreticis ve-
ro multos quotidie ad catholicam fidem conuer-
ti . Ac Salutij quidem hoc anno cum Ecclesia
hæretici reconciliati sunt quinque : eorum autem
qui pænitentia sacramentum aut multos annos in-
termiserant , aut etiam nunquam obiuerant , quin-
quaginta sunt exceptæ confessiones . In alio oppi-
do , cui Versolio nomen est , constatque tribus fe-
re partibus hæreticorum ; conciones insigni cum
fructu habitæ sunt . nam hæretici ipsi , qui initio no-
stris resistebant , in dies magis de furore remit-
tunt , & ad conciones audiendas conueniunt . Vir
quidam eius oppidi Princeps , Hæresiarchæ cuius-
dam frater , liberis suis potestatem fecit ad mis-
sæ sacrificium accedendi . Christianæ doctrinæ tra-
dendæ mos renouatus est , institutis ad varia tem-
pla supplicationibus ; itaque eius scholæ magnæ
iam puerorum , ac puellarum frequentia celebra-
tur . Dronerium oppidum præcipuum est , vallis
Mairæ caput , hæreticos habitatores habet fere om-
nes , in eo duo de nostris cōcionatores versantur ; inter
quos ita instituta res est , vt alter in oppido , al-
ter in pagis concionetur : vterque autem ingenti
cum populorum utilitate , & approbatione munus
suum executus est , adeo vt quibusdam in locis ,
quò nostros venturos sciebant , Populus in tem-
plo à prima luce ad vesperam usque præstolaren-
tur , eorumque aduentum festo campanarum pulsus
signifi-

significarent. Ad Catholicam fidem hæretici conuer-
si sunt duo, & viginti; in his vnuſ fœnator iniquissi-
mus, qui tamen magna omnium admiratione, quæ
fraude acquisierat, omnia cumulate reddidit. Drone-
rij hæreticus quidam fuit, vir ditissimus, sui erroris
in primis tenax, & studiosus, nostrorum aduersarius
capitalis, quo vita functo vxor, et filia nostrorum ora-
tione permotæ ad catholicam religionem redire con-
stituerunt. nec defuit Dæmon qui rem impedire co-
naretur: consanguinei enim puellam Matre inuita, ac
renitente hæretico cuidam volebant collocare; iamq.
à Gubernatore impetraverant, vt filia matri erepta
sibi traderetur. Mater ignara quid ageret, ad nostros
consiliū cauſa venit; ac de eorum sententia filiam in
area inclusam ex oppido clam exportandam curauit,
tantisper dum hæreticorum furor mitigaretur: ac
paullo post catholicoviro illius oppidi primario filiam
occulte in matrimonium tradidit, qui facile sua aucto-
ritate, atque opibus, tumultus hæreticorum compres-
sit. Coniuges duo hæretici, multisque flagitijs inqui-
nati, cum à nocturno dæmone plurimum vexaren-
tur, purgatis criminibus, abiectaque hæresi, ea mole-
stia liberati sunt.

In Ducis Sabaudiæ vallibus, quæ multæ sunt, atq.
hæreticorum refertiſſimæ, alijs duo de nostris concio-
natores versantur, qui ad Ecclesiæ gremium vnum,
& quadraginta hoc anno traduxerunt: intellectumq.
est Angronienses hæreticos, quorum regionem Val-
densium hæresis ante annos trecentos occupauit, de-
suæ iam religionis veritate dubitare. Ministri pote-
statem

statem hæretico cuidam dederant, priore uxore adultera dimissa, alteram ducendi. Cum autem eo nomine is in iudicium apud catholicum magistratum vocaretur, hæretici pro eius, suaque defensione libellum cōscripserunt, quo ostendebant id per Christianas leges licere, cumque dies aliquot iudicij actio suspensa esset, existimarent videlicet suam se opinionem hominibus probasse. & sane videbatur fore, ut latius serperet illud malum nisi à nostris libro aduersus hæreticos scripto mature occursum esset. Dux quidam hæreticus nostrum sacerdotem rogauit, ut filium catholicorum baptizaret: significavitque se, translatis ad catholicorum regionem sedibus, in Ecclesiæ veritatem venturum. Alterius item Hæretici, cuius auctoritate in ijs partibus fere nititur hæresis, filiæ duæ catholicam religionem suscepserunt; earum altera etiam in monasterio Deo se dicauit. Hæreticus quidā cū nōnullas disputationes habitas rescriberet, hæresim reliquit, Christi corporis supplicatio solemini ritu, ac cærimonia habita est, sacram hostiam præcedentibus cereis facibus ducentis, quæ res ut catholicis certam fiduciam attulit melius in posterum de religione sperandi, ita hæreticis dolorem inussit incredibilem: ita ut stupore quodam defixi, & spectaculo attoniti hiscere vix auderet. Quid multa? magna seges ostenditur, nisi messem operariorum paucitas impedierit: nam hæretici nostros plurimum amant, & obseruant; frequentesque custodiæ caussa in ijs peregrinationibus armati comitantur: aliquando cum hæreticus quidam unum è nostris sacerdotem iniuriosius acciperet, reliqui gladijs eductis

illius

illius defensionem aduersum hæreticum acriter su-
sceperunt.

Puschiaium, quod oppidum in interiore Vultu-
rena positum est, cum unus de nostris profectus esset,
tantum in animis oppidanorum duabus, tribus-
ue habitis concionibus, ardorem excita-
uit, ut summis precibus contende-
rent, ut ad ipsos reuer-
teretur.



PRO-

PROVINCIA VENETA.

DE G V N T in Veneta Prouincia Socij numero ducenti, sexaginta quatuor, vndecim domicilijs distributi, in Professa Domo Veneta numerantur quadraginta tres, in Collegio Patauino vnus, & quinquaginta, in Veronensi viginti, in Brixiensi septem, & triginta, in Bononiensi viginti duo, in Ferrariensi septendecim, in Parmensi sexdecim, in Mutinensi nouem, in Domo Probationis Nugularien si triginta, in Foroliuiensi Collegio quatuordecim, in Placentina Residentia quinque. Omnes valetudine satis firma, Dei gratia, sunt vsi, præter Venetam Domum, quæ tres amisit, quorum loco satis multiplici fœnore Deus dedit hoc anno ad triginta.

DOMVS PROFESSA VENETA.

Domum nostram professam Venetijs communis ciuitati morbus sub anni finem exercuit. quo tempore nostri domesticos infirmos ita curarunt, vt exter nos non neglexerint. Porro piam, ac sedulam erga domesticos diligentiam sic admirati sunt externi quiunque illam obseruare potuerunt, vt varijs eam laudibus, atque inusitatis extollerent; mirandum que fuit eo tempore, in tam communi malo præcipuum quoddam multorum ciuium erga nos studium,

¶

et beneficentia, qua nostros tum labores, tum dolores
mirifice subleuarunt. Nostris præterea concessum est
hoc anno Veneti Senatus Consulto, vt, quando per se
angusta domus nulla alia ex parte laxari poterat, su-
per unam ex salarijs apothecis nobis finitimam ædi-
caremus, substructis in ipsa apotheca pilis nonnullis
tanquam fundamentis, non leui loci, ac boni publici
iactura. Quo decreto Senatus haud vulgarem erga
Societatem nostram benevolentiam præ se tulit, à qua
etiam benevolentia profectum est, vt quingentorum
ducatorum summam, quam P. Possevino, dum hic post
reditum è Moschouia subsisteret, dono obtulerant, re-
cusatam à Patre ad nostram fabricam destinarint: cui
summæ adiecta aliorum piorum hominum subsidia
rem eo perduxerūt; vt tertiam noui huius ædificij par-
tem sequenti anno, ac reliquam deinceps confectā, et
ad inhabitandum accommodatam nos habituros spere-
mus. Sacerdotes porro nostri confessionibus audiendis,
concionibus habendis, alijsq. pijs operibus in pro-
ximorum salutem non defuerunt. Confitentium, et
communicantium in templo nostro multitudo certis
temporibus solet esse maxima; extra quæ fuit hoc
anno communicantium nobilitas quam numerus in-
signior. Quod nostrum bene de omnibus merendi
studium extra domus nostræ limites effudit sese.
nam hoc anno instituta est in proximo fano scho-
la casuum conscientiæ bis in hebdomada, ad quam
Clericorum bonus numerus accedit. Catechume-
nis etiam huius urbis nostri nonnullam impendunt
operam: quam ob rem sex hoc anno in templo nostro
partem

partim Iudei, partim Turcae sunt bapiizati; præter eos, qui in alijs huius orbis templis eodem sacro fonte lustrati sunt. Hoc idem nostri faciunt erga alia pia loca quædam, atque in primis illum, qui ab eo ope, quæ periclitantibus puellis affertur, subsidij nomen obtinet: quod opus fuit ciuitati perutile, ut à nostris institutum est, ita etiā à nostris sustentatur, ac promouetur pro viribus. Ad publicas custodias, ac triremes itum est frequenter, & non sine fructu: nam triremium duarū remiges prope omnes confessione expiati, cœlesti pane sunt refecti, magno ipsorum gaudio, qui aliquandiu tanto bono caruerant. Monasteria sacrarum Virginum nonnunquam iuuisimus, triaque ex ijs tum hortationibus, tum sacramentali confessione iuuimus; sed unius ex tribus fructus insignior, & mutatio explicatiorem exigit narrationem. Est in ea vrbe Monasterium Virginum, nobilitate ac numero facile princeps; huius paullatim labente disciplina, ita licentia creuerat, ut excusso obedientiæ iugo viuerent arbitratu quæque suo, sine professione, sine villa votorum, ac legum religiosarum obseruantia. cum autem ex ijs remedij, quæ multa ad restituendam eius loci disciplinam adhibebantur, nullum succederet; tandem, Deo auctore, Patriarchæ. Principiæ. venit in mentem nostris hoc negotium comittere. quamobrem ambo communis consilio P. Benedictum Palmium Provincie illius Visitatorem accersunt, eique monasterij tum famam, tum salutem vehementer commendant. Pater Sacerdotem vnum è nostris eò statim destinat, quidq. ac quomodo rem tractet, diligenter instruit. ille collo-

E quijs.

quiis, hortationibus, consilijs, sacramentis intra paucos dies rem eò adduxit, ut omnes communi consensu ad suis Pastoris obedientiam redierint, factaque generali totius anteactæ vitæ confessione Sacrosanctum Eucharistię Sacramentum magna doloris, pietatisque significatione sumpserint; ac paullo post multæ ex ipsis sollemnibus votis Deo se rite obligarint, ingenti totius monasterij, atque adeo ciuitatis vniuersæ lætitia, & gratulatione; quod etiam propediem facturæ dicuntur reliquæ. denique ubi abundauit delictum, ita spiritus sancti gratia superabundauit, ut spiritualibus nostræ Societatis exercitijs omnes pœne, magna animi contentione fese ad virtutem, ac religiosam vitam accenderint: id quod egregie præstant, nam, & communem vitam agunt, priuatis emolumenis omnibus sublatis, & præter horarias preces, singulas horas pie meditando consumunt, examen conscientiae nullo die omittunt, singulis festis diebus communicant; aliaque id genus efficiunt, quibus exercendis in dies plurimum proficiunt. Dici vix potest, quantum ex hac una re, & existimationis, & benevolentię nostris accesserit, tum ab ipsis Virginibus, tum vero à Principe, ac Patriarcha, Senatoribus grauissimis compluribus, ac demum ciuitate vniuersa, cuius per aliquot dies sermones pœne omnes in hoc uno opere prædicando, celebrandoque fuere.

COLLEGIVM PATAVINVM.

Habet Collegium Patauinum præter consuetas
templi, scholarumque etiam ex duplice congre-
gatione, Purificationis una, quæ publici ponissimum
gymnasi Doctoribus, atque auditoribus constat, al-
teri, quæ ciuibus omnis generis Oratori nomine vul-
go nuncupata, occasionem copiose messis, quam con-
fessionibus, hortationibus publicis, priuatisque, alijs
que nostræ Societati consuetis officijs sedulo curant
nostrri. Vir quidam primarius, cum in omne religioso-
rum, atque adeo ecclesiasticorum genus, tum vero in
nostros aperte insensus, dum per urbem ambulat,
lapsu pedis forte concidit; eoque casu crus illi alte-
rum confractum est: in qua calamitate resipiscens, con-
fessarium è nostris aduocari iubet, eumque sepius
ante, ac post confessionem incredibili benevolentia
significatione complexus, palam professus est, se in
posterum, si vita suppetat, acerrimum Societatis
nostræ fore defensorem: quem tamen eius animum
nobis experiri mors paullo post subsecuta non per-
misit. Multier quæ marito mortem machinabatur,
nostris confessa, ab ea insania reuocata est, & ad optimam frugem traducta. Comœdus insignis à tam tur-
pistudio, atque adeo à tam perniciosa Societate di-
stractus; cuius exemplum secuti sunt alijs duo ex ea-
dem Societate: quæ mox trium præcipuorum socio-
rum damno pœne soluta est. Heretici reconciliati
nonnulli, ex quibus unus fuit vir grauis, & doctus,

E 2 cui

cui etiam patenti data est breuis institutio pie, catholice que viuendi. Exercitia spiritualia tradita non quidem omnibus, qui id expetebant, sed ijs duntaxat, quibus per domus angustias, & alias occupationes licuit. Consuetudo concionandi, orandi que coram sanctissimo Sacramento palam exposito, totis tribus ante Cineralia diebus, sollemni cærimoniam magna que populi frequentia hoc anno retenta. Monasteria Virginum confessionibus, concionibusque sepe adiuta, id à nobis, vel ipsis Virginibus, vel etiā Episcopo, aut eius Vicario contendentibus. Classes quatuor humanitatis, Episcopi Patauini beneficentia, sunt apertæ; quæ statim à nobilibus adolescentibus tum Venetis, tum Patauinis, atque ex alijs finitimiis urbibus celebrari coepit: sunt: accessione præserium noui Collegij, quod educandis, & cum doctrina tum pietate imbuendis nobilibus adolescentibus, eiusdem Episcopi opera institutum hoc anno est.

COLLEGIVM BRIXIENSE, ET Veronense.

Brixiae generales confessiones auditæ permulta; unus siquidem Sacerdos exceptit ad triginta. multi etiam pacificati inter se, qui implacabiles inimicitias gerere videbatur. in hac re insignis pacificatio fuit inter duas primarias familias; in quibus dum frustra complures laborant, unus ex præcipuis aduersariis rē totam cuidam è nostris permittit; qui tū forte absens, cum vehementer expectatus in urbem rediisset, ita rē compo-

composuit, ut utriusque parti cumulate sit satisfactum. Eadem plane ratione sublata est inter ecclesiasticos viros magnæ perturbationis occasio. Inter duos etiam religiosos viros orta grauissima dissensio nostra opera est repressa; reconciliatisque animis impeditum, quod imminebat graue scandalum. Alij duo, & fratres, & nobiles grauiter inter se offensi, non aliter unquam, quam per nostros reconciliari potuerunt. Episcopus nostros tum frequenter adhibet, & consulit, tum vero in absoluendo, dirimendisque controuersiis quæ in ea vrbe multæ nascuntur, vicarium sibi ac socium nullum alium, quam ex nostris vnum adscivit. Juam vero erga nos beneuelentiam in eo vel maxime declarauit, quod quendam, qui contra nostros pro arte bistrionica scripserat, palam excommunicauit; librisque quotquot erant impressi, publice concrematis, exsilio etiam multauit. Neque Collegium Veronense in colenda vinea Domini ultimas tenet; atque tum alia ad Dei gloriam proximorumque utilitatem insignia gesta sunt, tum illud potissimum, quod vir grauis, qui obstinato animo proposuerat, ac palam profitebatur illatas sibi iniurias ab inimicis vlcisci omnes, in eoq. proposito annos aliquot vixerat, cum ab eo furore nunquam vel à grauissimis viris multum id ab eo contendentibus dimoueri potuisset; nostrorum tamen precibus euictus cessit, atque inimicis suis reconciliatus est.

COLLEGIVM BONONIENSE.

Bononiæ præter consuetas festis diebus toto anno conciones in templo nostro, unus etiam è Societate Quadragesimæ tempore, in æde cathedrali magno lectissimorum hominum frequentia, fructuque concionandi munus exegit. multæ quoque ad sacras virgines habitæ cohortationes, quarum fructus in uno præsertim monasterio enituit; in quo præterea monialibus singulis exercitia spiritualia tradita sunt: ut omittam alios multos, qui sese nostris eodem studij genere exercendos cōiserunt: tanti enim fūnt à Cardinali urbis illius Archiepiscopo, nullum vt ad sacros ordines, nisi in eo exercitationis genere aliquando ver fatum promouere consueuerit. Qui templum nostrum frequentant, ij tanquam nostræ vocationis æmuli in aliena salute procuranda, puerorū greges, quos Christiano cathechismo ex instituto erudiunt, ad nostrum templum identidem perducunt, vt à nobis ad sacram synaxim rite suscipiendam instruantur: neque solum opere, ac labore, sed etiam precibus, & exemplo iuuāt ciuitatem: siquidem tribus postremis Bacchanalium diebus, permulti ex ipsis, partim interdiu supplicarūt coram Christi corpore vsque ad vesperam ieuni, partim noctu sese flagris acriter ceciderunt. Ad nostra munera accessit hoc anno cura Heluetij præsidij, quo unus è nostris concionis, confessionisq. caussa mittitur. Sed hos labores nostros haud ingrata ciuitas bonis, ac frequentibus eleemosinis tum ad victimum, vestitumque nostrum, tum ad Ecclesiæ ornamentum remunerari studet. sex enim hoc anno sacerdotales casulas è seri-

co,

co, tres preciosos amictus circumuestiendo tabernac^{lo}, palliumque pro altari vnum auro intertextum do-
no accepimus. Archiepiscopus bis hoc anno sacram
Eucharistiam in templo nostro publice populo mini-
strauit, videlicet die Iouis, qui est ante Quinquagesi-
mam, & festo Nativitatis B. Virginis, magno nobiliū
comitatu, et communicantium numero, quibus diebus
pransus apud nos est, & ab uno ex magistris oratione
latina exceptus. Episcopus Placentinus ciuis Bononiensis ad capessendū Episcopale munus iturus, vnum
ex nostris secum adduxit; cuius opera egregie vsus
est, in familiæ, suæque diœcesis administratione recte
instituenda.

COLLEGIVM FERRARIENSE.

Neque dissimilia fuere in proximis iuuandis so-
ciorum Ferrariensium studia. Confessiones enim
generales audiere permultas eorum, qui multos iam
annos aut prorsus abstinuerant, aut abusi confessione
erant. Agonizantibus non semel presto fuerunt vo-
cati, inter ceteros autem prægnanti mulieri; qua mor-
tua id egerūt, ut dissecto eius utero fetus adhuc viues
baptizaretur. Iudeos quoque Christianæ fidei rudi-
mentis instruxerunt; qui deinde baptizati sunt. inter
hos mulier quedam insignis fuit, quæ animi robore
quam ætate maturior, ut suos qui suspicati, id quod
erat, christiana sacra eam meditari, diligentissima illam
custodia obseruabant, pia, prudentique astutia
falleret; fingit habere se, quæ cum Ducis Urbinatis
coniuge grauißima de re conferat: perducitur à suis

E 4 nihil

nihil inde suspicātibus aduersi; impetratur aditus
atque colloquium remotis arbitris; aperit illa consiliū
suum de Christiana religione suscipienda, parentum,
atque affinum importunam in impediendo tam salu-
tari proposito diligentiam accusat, opem denique, ac
patrocinium implorat, ut voti sui compos fiat. ubi id
rescitum est à suis, qui eam deduxerant, tremere ac
tumultuari cœperunt, sed frustra. tandem enim effecit
mulier, ut se Dux ipse Ferrarensis, & quam dixi, Vir
bini Ducis vxor sacro è fonte suscepereint: iamq. consi-
lij haud pænitens filiam quadrimam summa conten-
tione poscebat ad baptismum. Feminae octo à turpi
vita reuocatae sunt, ex quibus duæ sese Deo consecra-
runt; aliae ferme idem experientur. nonnullæ etiam oc-
cultâ impuritate pollutæ, vel matrimonio iunctæ, vel
alia ratione à flagitijs abductæ. Inter discordes, atque
inimicos, qui se capitali odio persequebantur, pax con-
stituta. ex his fuit mulier, quæ nouem annos totos cū
mariti sui interfectoribus grauissimas inimicitias
exercuerat, neq. ab eo furore vel Principum virorū
auctoritate, precibusq. dimoueri potuerat; hæc nostro-
rum suasu sponte remisit iniuriam, ac generali confes-
sione expiata vitam instituit valde laudabile, in eaque
etiam num perseverat. Duorum amentiæ, qui sese ad
singulare certamen mutuo prouocauerant, obuiam
itum est à nostris; quorum etiam opera factum est, ut
alii duo à simili scelere deterrentur. Vir quidam
primarius nostris potissimum, & si minus antea sibi no-
tis, ad erogandam in pauperes magnam pecuniæ sum-
mam vii voluit; quibus iam vitetur valde familiariter;
agitque

agitque cum illis serio de millium aliquot nummum
restitutione. In catechismo pueris urbanis & que ac pa-
ganis explicando nostri, ut antea, laborant diligenter,
ac præter consuetos fructus, qui ei muneri præest sa-
cerdos, cum aliquando in sicarium quendam incidi-
set, audissetque illum nescio quid oblatrancem tam
prio labore, grauiter hominem obiurgauit: quamobrem
is resipiscens, Patri eidem paullo post rite confessus,
odia, quæ multa, & grauia nutriebat, omnia depositus,
ita constanter, ut prouocatus deinde ab inimico ad pu-
gnam, etsi facile eum lædere poterat, negauit tamen
se confessum iam vltas amplius inimicitias exercere.
quo responso ita commotus est alter, ut & confessus
pariter sit ipse, & affinem alterum eiusdem uitæ ho-
minem, exemplo suo ad idem faciendum impulerit.
Alij duo viri nobiles iam pridē inter se dissidentes,
cum forte ad audiendos pueros christiana rudimenta
decentantes in quodam oppido conuenissent, illico re-
conciliati sunt. Ex nostris auditoribus, usque in pri-
mis, qui sunt ex Congregatione B. Virginis, permulti
solidæ virtutis, ut se illis obtulit occasio, insigne speci-
men dedere; potissimum vñus, cuius amore compulsa
flagitiosa quedam mulier, se in eius familiam insi-
nuauerat; & ut summam sibi apud familiares omnes
benevolentiam officiosa sedulitate conciliaasset, consta-
tem tamen iuuenis animum nunquam permouit: qui
odoratus improbam feminæ mentem, minatus est pa-
rentibus, nisi illa domo primo quoque tempore pelle-
retur, se alio migraturum.

COL-

PArmæ in templo nostro festis diebus communi-
cant ad ducentos, reliquis intra hebdomadam ad
quinquaginta. Bacchanalibus ferijs sacrosanctum Eu-
charistiae sacramentum in templo nostro totos quinq.
dies expositum est, ingenti ciuitatis admiratione, ac
fructu, nobiles enim feminæ non paucæ, ex ijs etiā, quæ
per eos dies profanis antea tripudijs solerent interef-
se, intra templi nostri septa ad precandum dies totos
se receperunt. Ter toto hoc anno disputationes de
christiana doctrina, cuius sunt classes duodecim, om-
nesque nostrorum ductu reguntur, habitæ sunt à pue-
ris, tum seorsim à puellis; in ijsque præmia distributa
ad ducenta, præsente semper Episcopo, & interdum
etiam Ducis Vrbinatis matre, quæ ad Episcopum con-
uersa, eo nostros ornauit testimonio, ut diceret beatas
esse ciuitates, in quibus nostri viuerent: simulque à no-
stris petiūt in scriptis catechismi publice examinandi
rationem. Cum pueri hoc anno communi quodam mor-
bo morerentur complures; ex ijs plerique preces ex-
catechismo, quas fuerant à nostris edocti, cantionesq.
vel in extremo spiritu iucunde admodum usurpabant.
Coniuges duo nec ignobiles, & ætate floentes, cum
septem annos communi consensu castitatē seruassent,
tandem de consilio confessarij è nostris, voto etiā sese
obstrinxerunt, una cum filia iam nubili; ac paullo post
vxor est mortua, magna cum animi voluptate, quod eo
in statu migraret ad dominum. Multis dum agerent
animā, præsto fuere nostri; quin illis etiam, qui pro-

pter

pter coniurationem in ipsum Duce capite sunt dam-
nati. quorum in eo suppicio pia, & constans alacritas
eo maiorem toti ciuitati l&etitiam attulit, quo minore
tam felicis exitus spem fecerat mors, quam in ipsa cu-
stodia sextus coniuratus sibi sponte consciuerat. Ami-
corum benignitatem hoc anno maiorem quam antea
sunt experti nostri, occasione falsi rumoris de ablato
nostris a Duce consueto subsidio. In dextro templi no-
stri latere ar^a exstruendam curauit femina quedam
nobilis, quae ara ita eleganter, apteque cessit, ut altera
ex aduerso propediem speremus.

In Collegio Foroliuiensi non defuit nostris occasio
tum bene de ciuib⁹ merendi, tum virtutis exercendæ
atq. ostendendæ: siquidē in turbulentia quadā tēpestate
contra ipsos exorta summam animi tranquillitatē con-
seruarunt: neque tamen negavit Deus afflict⁹ & familiæ
suæ solatium; nā præter propensam erga nos ciuitatis
vniuersæ voluntatem, præcipuum etiā Cardinalis Ver-
cellensis Ponificij legati studium in nostros exstitit;
quippe qui Forumliuij ingressus ad templum euestigio
nostrum rei diuinæ caussa venit, & postremis duobus
Bacchanalium diebus in Collegio nostro diuersatus est
valde familiariter, exceptus a nostris oratione latina
versibus, emblematisq. varijs generis: quibus omnibus
est mirifice delectatus. absens deinde concionatorem
nostrū a R. P. Generali impetratum secum abduxit.

DOMVS PROBATIONIS

Nugularensis.

IN Nugularensi Probationis Domo Novitiij ad
omne religiosi officij munus diligenter instruuntur.

Festis

Festis diebus pueros in nostro gymnaſio christiana doctrina erudiant; quorum bona pars ex vicinis etiā pagis eam ob cauſam ad nos confluunt, tanto ardore discendi, ut vrgeant ipſi potius quam vrgeantur: ac dimiſſi ad templum bini procedunt iusto agmine, litanias B.Virginis decantantes magna populi voluptate. Camillus Comes eius domus fundator ita fauet huic operi, ut præter præmia, quæ multa victoribus distribuit, ab ineunte anno ad messem vsque centenos quotidie pauperes domi suæ aluerit ea lege, ut catechismo erudiantur, ante quam accumbant. quamobrem multi qui iam senes ne dominicam quidem precandi formulam probe tenerent, omnia ſibi ad ſalutē necessaria edidicerunt. Porro pueri quantum proficiant, tum ex eo facile intelligitur, quod in alijs edocendis magistros agūt fane quā apposite, tum vero ex facto nuper de septen ne puella periculo, quæ interrogata de quæſtionibus theologicis tam recte respōdit, atque sapienter ad omnia, ut omnibus maximam admirationē afferret. Eiusdem cathechismi cauſa nonnulli ex nostris in vicina oppida dimiſi ſunt magno populorum fructu, & Parochorum voluptate. Vnus autem ē nostris Patribus in prolimo pago diebus festis concionatus est, tanta puli frequentia, quantum capere locus haud poterat: cui ad permouendos audientium animos non parum profuit occasio femine cuiusdam energumenæ, quæ quoties concioni interueniebat, ita identidem deformabatur aspectu, ut mali dæmonis effigiem, aut excitum ab inferis simulacrum diceret: & quæ nullis exorcismis vñquam moueri potuerat, vel ad vnum Patris verbum,

verbum, non quidem de rebus subtilibus, ac theologi-
cis, sed directa viuendi ratione præsertim ex ijs, quæ
in doctrina christiana continentur, diro furore percita
ita distorquebatur, ut stridore horribili, atque eiulatu
compleret omnia. quamobrem nonnulli metu perculsi,
ex templo sese proripiebāt, alij misericordia cōmoti in
lacrimas prorumpabant. Non prætermisit Pater tam
opportunam occasionem inuehendi in aduersarij no-
stri crudelem tyrannidem; & explicandi quam imma-
niter sæuiat in animos nostros, qui sic exagit corpore
ra. Fiebat interdum, ut quiescere iussa femina statim
in genua prouolueretur, ac reliquo corpore consistēs,
caput modo iactaret gemebunda, stridensque horren-
dum in modum, ac linguam exereret, oculos circum-
uolueret, vultuque toto repente nigresseret. Qua ex
re fructus non mediocris est consecutus; peierandi
enim, blasphemādiq. consuetudo sublata; odia, et inimi-
citiæ à multis depositæ, sceleraq. alia grauissima ex-
terminata. Alter ex nostris Patribus diuini verbi caus-
sa missus in oppida finitima, ita benigne, & humaniter
est exceptus, ut ipse miraretur tanti fieri nostros homi-
nes à viris illustribus, ac Prælatis, quibus ille ita satis-
fecit, ut eorum exemplo nonnulli Episcopi ac Prælati
alij nostros in suas diæceses aduocarint. Quod etiam
fecerunt viri aliquot primarij cum morbo conflictar-
entur, ut nostris confessi æquiore, ut sperabant, animo
morerentur; in his Guastallæ Princeps femina Cardi-
nalis Boromæi soror, quæ cū grauiter ægrotaret, non
nisi à nostris Pænitentiæ, & Eucharistiæ sacramentū
suscipere voluit. Comes quidam suæ ciuitatis nobilita-
te, atque

te, atque opibus facile primus, cum graui, & periculo-
so morbo laboraret, vehementer optabat è nostris ali-
quem, cui, & peccata confiteri, & suum ex hac vita di-
scessum committere iuto posset; quem imperatū vbi
adesse vidit, sublatis in cœlū manibus, suauissime com-
plexus est, stupentibus omnibus tam subito exhilara-
tum, qui dudum tam graui mærore premeretur: mox
ei confessus Christi corpus genibus in nuda humo pos-
itis, insigni pietatis, ac reuerentiæ significatione susce-
pit. cumq. ad eā vsq. diē graues inimicitias cū una ex
præcipuis eius ciuitatis familijs exercuisset, ob eamq.
caussam ciuitas rota duas in partes diuisa esset; quod
neq. Gubernatoris, neq. Episcopi, neq. Ducis ipsius au-
toritas efficere potuerat, ut ea discordia, sedaretur,
eiusdē Patris rogatu effectū est. itaq. is inimicos, quā-
do aliter conueniri non poterant; accersiri ad se iubet,
præsentesq. verbis affatur humanissimis; precatusque
veniam singulos amplectitur: quod eius exemplo com-
plures alij eodem in locofecere, ad quos eadem simu-
tas pertinuerat: Quorum ex mutuis complexibus, la-
crimisq. incredibilis non modo tota domo illa, verum
etiam tota ciuitate lætitia consecuta est: multiq. viri
nobiles ad Patrem tanquam eius rei auctorem gratu-
labūdi conuenere: ipseq. ciuitatis illius Episcopus non
aliunde proficiunt tantum opus, quam à nostræ Socie-
tatis viro potuisse professus est. Ea res tantam animi
voluptatem ægrotō attulit, mox vt habere melius cœ-
perit, qui tamen antea deperditæ valetudinis habeba-
tur à medicis. Substitit ibidem Pater tres, aut quatuor
dies, quoad insigniter conualescere visus est. quo tem-
pore

pore ægrotus neque illum à suo latere discedere, neque alios à quoquā nisi de Deo sermones haberi possunt est: multaque ad astantium, quorum erat ingens perpetuo numerus vtilitatem, & saepe dixit ipse, & à Patre dici curauit, ex quibus illud non videtur omitendum, quod medicos grauiter increpauit, qui suos ægrotos de confitendi officio, ex sanctæ matris Ecclesiæ sanctissimo decreto non commonefaciunt; id quod in posterum obseruaturum sese medicus præcipiūs pollicitus est. Cuiusdam etiam impio consilio, qui ex desperatione uxorem cum liberis multis clam deserere constituerat, opera nostrorum occursum est. Camillus Comes cū Societatem nostram amat, atque obseruat vniuersam, tum vero eam domum ita complectitur, ut multo maiorem nostris de rebus solitudinem, quam de suis præferat. Itaque, & crebris nos muneribus, eleemosinisque auget, et hortos domesticos muro circuic平ere statuit, quos etiam multis ipse sua manu arboribus conserit. Scholas nostras pueri ad centum frequentant, plerique ex finitimiis vrbibus. Casus etiam conscientiae bis in hebdomada Canonicis, nostrisque præleguntur.

RESIDENTIA PLACENTINA.

Placentia, ut anno superiore scripsimus, Collegium est institutum: id dum ex ædificatur, cæteraq. aptatur, tres, ut initio dixi, ea in urbe tantisper commorantur. Magnum est Societatis nostræ nomen, magna opinio, ut facile sit ex his primordijs coniçere, quanti sint fructus ex constituto Collegio sperandi. Vir nobis-

nobilis, qui multos annos à Domino contulerat, ut Societati nostræ domicilium ea in urbe habere liceret, ubi primum ingressi Placentiam sumus, aureos centū nobis eleemosinæ nomine donauit, calicem unum, & quidquid Sacerdotibus duobus ad rem diuinā instruēdis est necessarium. Aream habemus pro Collegio exaedificando satis amplam, & ad laxandos à laboribus animos hortum satis amœnum: agrum præterea quantum satis est ad mille circiter aureos quotannis percipiendos. Episcopus sanum affine à Pontifice nobis impetravit; quo tamen iustis de caussis non dūpsi sumus.

Neque vero defuit occasio exercendi munera
Societatis, quibus maior Collegij, schola-
rumque cupiditas est iniecta ciuita-
tis; sed quo minus ei fiat satis,
per aliquot annos ob-
stabit domicilij exædifica-
tio.



五道口大街33号
五道口大街33号

PRO-

PRO-

PROVINCIA LUSITANIAE.

SVNT in Lusitania domicilia decem; in ijs Socij tres, & quingenti, in Domo, et Collegio Vlissiponensi, in singulis quinquagemi quini, in Collegio Conimbricensi centum, et septuaginta duo, in Eborensi centum, & viginti, in Bracharense viginti quinque, in Brigantino vnde viginti, in Portuensi nouem, in Funchalensi tredecim, in Residentia S. Finz quinque, in Residentia Angolana tres. Hisce additur Missio Almerinensis, in qua septem de nostris annum iam alterum commorantur. Est autem Almerinum paruum oppidum, leuis ab Vlissipone quattuordecim, quo Reges fere mensibus hiemalibus celi salubritatem secuti secedunt. Eo etiam nostri ab Henrico proximo Lusitanæ Rege deducti sunt; qui cum in eo loco esset mortuus, nostri Residentiam ibidem posuerunt, quod Rex Philippus voluerit, ut illic essent tamdiu comitantes Henrici corpus, dum id, in Bethleemis templum, in quo Regum Lusitanorum sepulchrū est, transferretur; quod ut maturius fieret, corpus viua calce conditum est; ut scilicet, vi calcis, consumpta carne, ossa nuda transportarentur. Itaq; simul ac maturum visum est, Rex Philippus ossibus auunculi transferendis pompam, quam maxime potuit solemnem indixit: ad quam nobilissimi quique regni proceres conuenerunt; Cum autem

F arcam

aream aperuissent, in qua Regis corpus cum calce annum fere iam tertium iacebat; mirum dictu, ipsum plane integrum, nulla tabe corruptum inuenierunt. quod indicium illustre fuit Regis castimoniæ, & virginitatis, cuius etiam testimonium dat is, qui eius olim confessiones audire consueuerat. Corpus diligenter purgatum, curatumque Cardinalis ornatu, diu fuit multitudini expositum; quæ lacrimis, piaque desiderio memoriam optimi Principis prosecuta est: inde in alia repositum area textili aureo cooperta, & V lissiponē deuictum. Eodem die ossa Regis Sebastiani ex Africa per Turdetaniam à Tingitano, & Siluensi Episcopis delata sunt: duoque sanctissimi Reges summa omnium ordinum celebritate, regali magnificentia in Bethleemis templo sepulturæ sunt mandati.

Collegium Angrense in Insula Tertia omnino amisimus. Aliquot iam anni sunt, ex quibus nostri in eo Collegio tanquam in custodia ita inclusi tenebantur, ut singulis prope horis mors immineret. Tandem cum edictum esset, ut omnes, qui in D. Antonij verba non iurassent, insula excederent: duas in naues imposuit sunt, eo consilio, ut in alias regiones asportarentur. Ex his quinque cum in Anglicana navi, cum exsilibus triginta viris primarijs, in Angliam aueberentur, in ipso cursu in oneraria Belgicā inciderunt: pacliq. sunt exsules pecunia cum nautis, ut ipsis, nostrisque in eam transcendere liceret. itaque ad Sangrensem Algarbiorum portum delati primum, inde V lissiponem feliciter appulerunt; singularique benevolentiae significatione à Philippo Rege sunt excepti. Alij quinque (decem

(decem enim fuere in uniuersum) profugi mari adhuc vagari dicuntur, magnis patientiae, virtutumque inter tot pericula datis exemplis.

Mortui sunt è nostris in hac Lusitaniae Prouincia tredecim: Societati nomina dedere quinque, & tringinta. Hæc de ipsa Prouincia generatim: nunc ad eiusdem domicilia singula veniamus.

DOMVS PROFESSA
Vlissiponensis.

QUAM utiliter nostri Vlissipone versentur, vel id ostendit; quod uno Aprili mense, eorum qui nostro in templo communicarunt, summa duodecim millium inita est: in anniversario quoque iubileo, quod huic est Vlissiponensi diœcesi concessum, Sacerdos unus confessiones generales quadraginta exceptit. Sed enim aliorum quoque temporum fructus constitit. Honestus quidam vir filium habebat moribus perditissimis; quem pro paterno imperio, & auctoritate cum regere iam non posset, ad unum de nostris pertraxit, a quo sanaretur. is ferox adolescentis ingenium tanta dexteritate tractauit, ut paucis diebus eum induxerit, ut in templo ante augustissimum sacramentum veniam à patre peteret, moresque se emendaturum polliceretur. Alio tempore noster Sacerdos euocatus est, vt ciuem primarium morientem in extremo illo certamine confirmaret; qui tam pie suo munere functus est, uti æger, cui ceteroqui nulla ante cum nostris consuetudo intercesserat, nusquam eum à suo latere

F 2 discedere

discedere pateretur: intimeque angeretur, quod tanto bono usus ante non esset; que etiam res non minimam apud adstantes nobiles Societati existimationem conciliavit. In leproorum valetudinarium, carceremque publicum itum frequenter est; in hoc triginta homines vel impetrata ab inimicis venia, vel debito a creditoribus remisso, nostrorum opera sunt liberati: quod etiam auxilij genus iuris consulto, cum is fictis criminibus in vincula conjectus esset, nostri praestiterunt. Multæ et graues discordiae rextinctæ sunt; una præcipue, que inter duas familias nobilissimas, et affinitatibus inter se coniunctas accensa, filios in parentes, fratresque in ipsos fratres impio, crudelique odio armauerat. Conclaves tum in urbe, tum in pagis habitæ cum insigni populum utilitate; in eorum uno sanctissimi Sacramenti sodalitas ita dilapsa erat; ut si quo sacra Eucharistia esset effredata, nullus reperiretur, qui cum facibus appareret: quam hominum segnitiam cum aliquando nostra concionator publice insectatus esset, non modo sodalitatem in pristinum pietatis ardorem restituit, sed virum primarium, qui iurauerat, nunquam se illius gubernationem suscepturnum, impulit, ut veniam eius rei a Parocho postularet. Oppidani duo cum per multis annos graues, et implacabiles inimicitias gessisset, ita nostri Patris concione commoti sunt, ut illico dextra fideque data, in ipso templo odia finierint. Nobilis adolescens cum virginis cuidam nobili fidem suam de matrimonio dedisset, eiusque postea consilij, ut sit, ipsum penitentem; magnas discordiae flamas accederat: is audita concione, et promissi fidem exsoluit, et insuper

per superioris vitæ criminibus, generali cōfessione ab-
solutus est. Alius quidā de nostris cū in oppidū, quod
Nouas turres appellant, profectus esset; initio illius
aduentus incolis non admodum accedit gratus; vt pote
quibus antea Societas nota non fuisset. Vbi autem is
munera Societatis obire coepit, omnium ordinum ani-
mos ita sibi deuinxit; vt modis omnibus apud se homi-
nem retinere conarentur, & discedentem principes
oppidi ad quintum milliare officij caufa prosequeren-
tur. In eo autem oppido cum alia multa ad Dei gloriā
insignia sunt acta, tum clausa Domus quædam est, in
qua omnia scelera, et flagitia exercebantur. hanc Vlis-
siponensis Archiepiscopi Visitatores cum tollere ali-
quoties conati essent, eis obtemperatum non est: tandem
noster Sacerdos, Deo iuuante, cū in concione, et apud
Senatum in illam corruptelarum officinam esset inue-
ctus; dominum induxit, vt genibus aduolutus culpam
deprecaretur, ac iuraret domum ex templo se clau-
surum, neque vt in posterum huiusmodi sceleribus pa-
teret, permisurum. Templum nostrum, quod adhuc
rude fuit, ad Societatis ministeria exsequenda, opere
subito, & inchoato exstructum; perfici, & ornari hoc
anno cœptum est. in eam rem viri quidam è prima no-
bilitate aureorum quinque millia contulerunt: Rex
Catholicus etiam Architectum suum attribuit: atque
vt res ire cœpit, brevi absolutum iri speramus.

COLLEGIVM VLIS SIPONENS E.

E Adem in spe Collegij Vlissiponēsis ædificatio est,
quæ ante aliquot annos cœpta, vrgetur strenue. Si

F 3 tus

tus designati partem, quæ nonnullorum criminationibus fuerat impedita, Septembri mense, æquisimis omnibus obtinuimus. Cum enim Rex Philippus Senatui nunciari iussisset, placere sibi, ut quam agri suburbani partem Rex Henricus Collegio adsignasset, ea cum pace quam primum attribueretur: Senatus respondit se in Regis futurum potestate. itaque is locus muro vndeque iam pæne cinctus est. Cum hac fabrica temporaria, plurimum etiam spiritualis creuit. Dæmon truculenta specie cuidam frequenter apparens, eum prope induxerat, ut sibi manus afferret: is cum rem totam confessario aperuisset, criminibus ab eo purgatus, Christianique corpore munitus, illa molestia liberatur. Alius cum nefario scelere se obstrinxisset, tantis illico cœpit doloribus excruciali, ut mors instare omnibus videtur. quare miser præsenti necessitate coactus, confessarium aduocari iubet; factaque confessione, paucis horis sanatur. Quidam cum filij interfectores iam comprehensos legibus, ac iudicio acerbissime persequetur; audita nostroru concione, omnem actionē omisit, veniaque percussoribus data in patriam reuertit.

COLLEGIVM CONIMBRICENSE.

Collegium Conimbricense grauibus, & periculis morbis conflictatum est, quibus quattuor extinti sunt. in his fuit unus Antonius Gilius, vir sui ipsius ac sensuum suorum continentia admirabilis: qui cum annos quattuor (tot enim in Societate vixit) æditui munere functus esset, ac frequenter pro sui officiū rationibus

tionibus loqui cum mulieribus cogeretur; affirmauit, se quidem aliquot mulierum voces agnoscere solitu, nullam tamen ex ijs de facie cognitam habuisse. Neq. tamen in Scholasticis, proximisque reliquis iuuandis opera est intermissa. Sunt autem discipuli mille, & sexcenti, ea pietate, ac virtute, ut gratiae Deo sint agen dæ, quod tanta iuuentus tanta cum animi alacritate ad Christianam perfectionem contendat. Per Quadragesimam, cum certum temporis spatiū omnes in precibus posuissent, flagellis acriter se ipsos cecidere. alijs non soium Domi suæ, sed etiam per urbem noctu magno cum animi ardore idem præstitere. Cilicia corpori edomando ita multi efflagitarunt, ut triginta, & eo amplius carnis coercenda instrumenta inter ipsos dividere nostri cogerentur. Feria autem in cena Domini communicantium numerus mille sexcentorum fuit. Cum in quodam monasterio mulier à Dæmone agatur, euocatus est noster Sacerdos, ut Ecclesiæ exorcismis Dæmonem abigeret. cum autem ille iussisset signum Crucis à muliere exprimi, eaque repugnaret, quatuor homines robustissimi mulieris dextram vi at tollere conati sunt: sed eorum conatus omnis aduersus Dæmonem insidentem ad nihilum recidit, ad extremū cum exorcismo, sacrisque precationibus Dæmon urge retur, magno cum sonitu excessit: mulier autem liberatam se videns cum eodem Sacerdote generalem vitæ confessionem instituit. Idem fructus constitit in vicinis oppidis, cum ad illa, Societatis instituto, de nostris aliquot missi essent, in uno enim cū atroces inimicitiae inter ciuem primarium, et rusticū hominē exarsissent,

F 4 Sacerdos

Sacerdos è nostris rusticum adiūt, facileque homini minime ambitioso persuasit, ut animum induceret, veniam vt à ciue postularet. Igitur feria quinta hebdomadæ sanctæ, concione absoluta, rusticus cum ipso concionatore (sic enim inter illos conuenerat) ad ciuus, qui tum forte in templo aderat, genua procumbens obsercat sibi vt parcat. cum autem ille ardens ira, supplicè abiçeret, probris insuper, minisque absterreret; tertius Parochus ad pedes accidit, iramque pariter cum ceteris deprecatur: populus quoque omnis rem in preces inclinatam subsecutus, orare ciuem instituit, vt homini veniam daret. hoc populi consensu victus tandem est animus, rusticumque complexus, cum eo se in gratiam redire dixit. Alter filij necem post annum nostris deprecantibus dedit. In oppido quodam pietas ita frigebat, vt rosaria palam gestare flagitium duceretur: digitis, si qui paullo essent religiosiores vtebantur. cum autem noster concionator peruersam eam consuetudinem aliquoties accusasset; ad extremum in concione pronunciat, grana se benedicta diuisurum ijs, qui rosaria exhibuissent. ea denunciatione plurimi rosaria depromperunt, eorumque usus popularis factus: accidit etiam saepe, vt concionatori pro secundis mensis viri elegantiores rosaria apponerebant, vt eo artificio granum aliquod benedictum elicerent. Sacerdos quidam in alio pago annos quattuor domi latitabat cardiacum morbum perpetuo excusans; quo tempore neque rem unquam diuinam fecerat, neque preces horarias recitauerat, epulis dumtaxat corporisque voluptatibus indulgebat; hunc officij caussa cum adisset unus è nostris,

nostris, paullatim sermonibus familiaribus induxit, ut
crimina confiteretur, preces recitaret, atque in Missæ
cæremonijs, quarum penitus erat oblitus, priuatim
exerceretur. Alio in oppido cum quidam e Societate
Sacerdos edixisset concionem se diebus singulis habi-
turum, atque oppidanos ad eam inuitasset; vir quidam
primarius questus est abduci homines ab agrorum cul-
tura, & per otium, ac lasciviam a concionatore cor-
rūpi, cuius quidē maledicti pœnas mox repetit Deus,
altero enim die in morbum, ac phrenesim incidit; qua
in phrenesi cum agros, pecuniam, Domos loqueretur
nullum de rebus diuinis sermonem admitteret, quarto
die miserabiliter exspirauit.

COLLEGIVM EBORENSE, ET
Portuense.

E Boræ P. Prouincialis, dum illud Collegium de mo-
re inuiseret, B.V. Mariæ nomine sodalitum inter
Scholasticos instituit; id ingenti omnium Academico-
rum approbatione, & consensu susceptum est. Ab iisdē
Henrico Regi eius Academiæ, Collegijque Fundatori
pridie Kal. Februarij publice parentatum. Conclaves in
æde maxima ad eos qui hæresis conuicti sunt, rogatu
Inquisitorum habitæ. Beiam, quam veteribus Pacem
Iuliam fuisse dicunt, profectus de nostris unus centum
amplius inimicitias discussit. Quidam vicino in oppido
vir seditiosus, multorumque odijs implicitus, magno
nostrî Patris labore ad mores commodiores tradu-
ctus est. hic feria hebdomadæ sanctæ quinta, postquam
dicendi

dicendi finem noster concionator fecit, in suggestum
adscendit; veniamque cum lacrimis ab vniuerso popu-
lo deprecatus, veteres se omnes inimicitias deponere
professus est.

In Collegio Portuensi, ut supra demonstrauimus,
admodum pauci sunt de Societate: spes est magna ta-
men fore, ut eorum numerus augeatur, & scholæ etiam
instituantur, id quod ciuitas summopere cupit. Quidā
cum frequenter à Dæmone truculenta specie terrere-
tur, facta nostris confessione liberatus est. Pia quædā
femina, ex ijs quæ nostris confitetur, cum officij chri-
stiani caussa domum leprosorum adiret, mulierem of-
fendit vi morbi fœdiſſime ulceratam, à qua cum ani-
mus naturali quodam horrore refugeret, ipsa vim
sibi faciens, eo studiosius putria ulcera, & verminosa
tractare cœpit, donec nauseantis naturæ molestiam
penitus superauit. Neque vero ijs qui extremo sup-
plicio afficiuntur, opera nostrorum defuit: quorum cū
vnum capitis damnatus innocens ad supplicium duce-
retur; per nostros, qui iudicem de hominis innocentia
docuerunt, seruatus est. isque ingenti hominum multi-
tudine prosequente, ad nostrum templum, ut Deo gra-
tias ageret, venit, sacramque Eucharistiam suscepit.

COLLEGIVM BRACARENSE, ET Funcalense.

Bracarensem Archiepiscopum, qui veteri ætati
biam confessio, vitamque tranquilliorem cogitanti
successit, nostræ Societatis habemus amantissimum. is

vbi

vbi primum urbem est ingressus ad nostrum Collegium
venit, exceptusque est oratione latina: singulos prece-
ptores audiuit, omniaque vehementer probauit, disci-
pulorum multitudinem (iij circiter mille sunt) etiam
admiratus est . Pacificationes aliquot factae sunt , in
his una inter duos potentes viros ; quorum alter cum
in conuentu colaphum accepisset, alterius morte iniu-
riam delere omnino decreuerat.

Neque minoris momenti pax illa fuit , quæ Fun-
chali inter Episcopum , & Senatores de præcedendi
ratione est constituta . Cuius felici euentu lœtatus
Episcopus , P. Rectorem exorauit, ut in vicinum oppi-
dum ad grauem , & antiquam de principatu contro-
uersiam componendam proficeretur: quæ similiter,
Deo bene iuuante, exitum habuit felicissimum. In ea-
dem ciuitate cum morbus quidam occultus grassari
cœpisset, quo plurimi subito extinguebantur, ciuesque
omnia diuina, humanaque remedia adhibuisserent; tandem
celeberrimam supplicationem ad ædem D. Iacobi in-
dixerunt. quo in loco cum è nostris quidam concionem
habuissent, tantus animorum motus factus est , ut suspi-
rijs, ac gemitibus veniam poscentium, diu concio inter-
rumperetur: inde, veluti placato numine, omnia fuere
lœtiora. Fame autem dominante, cū alijs plurimis no-
stris subuenerunt, tum centum , & viginti pauperibus
victus quotidiani partem dedere.

RESIDENTIA ANGOLANA.

ANgola Regnum est in extima ora Aethiopiæ,
quæ Guinea dicitur, in cuius insula Loanda no-
strorum

strorum Residentia est. de qua et si noui nihil est auditum , quod quidem à Superioribus litteris diuersum sit:quia tamen postea circumstantiae quædam sunt cognitæ, sine quibus proximi anni narratio imperfecta, & obscura videri posset; eas visum est huius anni litteris adscribere, tamque narrationem retexere.Cambambes (ut hinc initium sumam) regio est in interiore Angola,in qua montes argento fertilissimi dicuntur esse. Ad hos montes cum Lusitanorum Præfectus expeditionem pararet , secum unum è nostris rerum spiritualium caussa deduxit . Interea Ambundi , qui regionem quæ interest habitant , cognito Lusitanorum consilio,incredibili multitudine Lusitanis iter obstruere conati sunt : Sed quibusdam prælijs vici, fusique, consilio destitere; itaq. nullo hoste prohibente ad Coan sam flumen Lusitani peruererunt . Est autem hic fluuius omnium maximus , qui ignotis ortus è fontibus, per Congi, Angolæque regna decurrit ; quæ in mare influit, sex, et triginta millium passuum latitudine; cibris in viraq. ripa accolitur, aspiciturque oppidis: tandemque impetu in mare effunditur , ut discussis fluctibus, diu suum in mari alueum teneat, atque inter marinæ aquas ad octoginta millia passuum dulces hau- riantur. Præfectus, impositis in nauem impedimentis, cum exercitum expeditum secundum alteram fluminis ripam duceret; eiusmodi tempestates sunt consecutæ, vi iter necessario intermitteretur; & grauis autūnus exercitum valetudine tentare cœpit . quare constere, & ad fluminis ripam castra ponere sunt coacti. Pater licet communi malo afflictus, proprijsque doloribus

ribus fractus, nihil tamen ad milites iuuandos sibi reliqui fecit: nam Aethiopum manibus, quando incedere non poterat, vectus, militum tentoria obiuit, ac mortuentium confessiones audiuit, eosque in extremo vita certamine confirmauit. eo etiam tempore, cum magna dissensio inter milites extitisset, sic, ut manum conserrare, atque armis dimicare sequenti die constituerent factus ea de re noctu certior Pater, inter manus Aethiopū delatus, ad factionum principes venit, eosque Deo bene iuuante, in mutuam gratiam, & amicitiam restituit. Lusitani ad eum locum dies quindecim, imbrum continuatione, morati, Nouembri mense ineunte, ad montes contenderunt, & à millibus passuum quindecim loco idoneo, qui aditum habet nauibus opportunitum, castra munierunt. Huc ad Lusitanos oppugnando, omnes Angolæ populi, multitudine innumerabili conuenerunt: simul morbi exorti multo grauius in castris seuire cœperunt; diebusque minus triginta, Lusitani centum, mancipia quadraginta absunta sunt. Lusitani quamquam morbus numerum ipsorum valde diminuerat, & qui supererant, membra ægre movebant; animi tamen virtute corporis infirmitatem sustentantes, hostibus egregie restiterunt, & eruptionibus aliquot factis plurimos interfecerunt. Cum autem esset in dies grauior, atque asperior oppugnatio; et maxime quod magna parte militum uel morbis, uel quotidianis prælijs confecta, res ad paucitatem defensorum peruererat (ex trecentis enim militibus, quot ex Loanda profecti sunt, vix ad centum, qui arma ferre possent, redacti erant) tamen obsidionem sustinebant

ſpe

spe auxiliū, quod Congi Rex mittebat. ea militum erat
millia septuaginta, quibus non modo obsidione se exi-
mtere, sed etiam hostes debellari posse confidebant. Cū
autem ea spes duci longius uideretur; tandem cognos-
cunt Congentium auxilia ab hostibus intercepta, &
concisa esse. Lusitani destituti ab unica spe auxiliū, pu-
blicis rebus desperatis, salutem quisque suam spe-
ctare cœpit: multique à castris dilapsi, in Loandam
insulā confugerūt. ab his fit certior unus è nostris, que
in Angola gererentur, quantoque in periculo Lusita-
ni uersarentur. Itaque cogitans in ea re non solum lu-
sitani Imperium, sed etiam Christianā religionē
periclitari; Lusitanos, ceterosque qui in insula erant
hortatus est, ut secum ad opem suis ciuibus ferendam
uenirent. Horum aduentu obfessis tantus animus ac-
cessit, ut statim eruptione facta, hostes in fugam uer-
terent, eorumque magnum numerum interficerent.
Dies erat ille natalis idem S. Ioannis Baptiste, quem
custodem, equitumque præsidem Lusitani præcipua
religione colunt: quare illius precibus, meritisque ui-
ctoria adscripta est, et de Diui nomine locus appellatus.
Obsidionis tempore Pater cuius supra mentionem fe-
ci, nihil in corporum, animorumque salute procuran-
da omisit. nam, & sacram ædem è ligno ad rem diuinā
celebrandam exstruxit, & ex eadem materia domum,
in quam ægroti reciperebatur: militesque induxit, ut in
orbem suum quisque hebdomadam illis ministrarent,
magna barbarorum non solum approbatione sed etiā
admiratione, qui tedium fugientes tarda ægrotantium
fata immani crudelitate præcipitare solent. Idem etiā
sub

sub prælijs tempus milites ad præstandam virtutem,
quam in alijs prælijs præstissem, tuendamque reli-
gionem tempestiis colloquijs hortabatur; Missæ sacri-
ficium quotidie pro eisdem offerebat, mortuosque cum
funebri psalmodia sepulturæ mandabat: edixit etiam
ut Christiani omnes, qui aderant, quinques diebus sin-
gulis templum adirent, Deumque pro victoria suppli-
citer precarentur. Porro ea Lusitanorum militum pie-
tas, & religio fuit, ut nunquam in aciem descenderet,
quin à Patre criminibus expiati; de eiusdem ma-
nibus sacram Eucharistiam susciperent. quid igitur
mirum Lusitanos ijs præsidij de hostibus insperatam
victoriam reportasse? Patri aliquando prandentivir
quidam superuenit, qui eum magnopere vrgebat, vt
suam confessionem exciperet, quod diceret sibi morte
instare. surrexit Pater, & cum eo in vicinum eremito-
rium secessit. quo in loco cum ille confessionem feci-
set, ac testamentum coram legitimis testibus nuncupas-
set, statim mortuus concidit. Alio tempore cum ex ho-
stibus quinque capitjs ob plurima flagitia damnata in
vinculis adseruantur, castaque Lusitanorum haud
procul ripæ fluminis locata essent; frustrati custodes
flumen tranarunt, & ad suos peruererunt. in unum
ex his lacertus fluviatilis ex Crocodilorum gene-
re insiliens, in omnium conspectu deuorauit, bar-
baris plurimum stupentibus, Deique prouiden-
tiam prædicantibus, quod ille præter ceteros ma-
ximis flagitijs esset inquinatus. Hac victoria di-
midia pars Angole in Lusitanorum potestatem ve-
nit; multique Reguli, ac Dynastæ ad Christi fidem su-
scipiendam

scipiendam sunt excitati. Ex eorum numero Songa fuit
Banzanus Regulus, Regis sacer, ad quem instituendū
cum proficeretur alter Sacerdos, secum ipsius Regu-
li fratrem, filiumq. natu maiorem duxit, quos ille an-
tea ad nos miserat, ut baptizarentur. qui iter facie-
bant, passim idolorum simulachra euertebant, Cru-
cesque erigebant, populosque ad Christianam religio-
nem hortabantur: baptizavitque Pater in eo itinere
quinque circiter, & sexaginta. In quodam pago, quos
incolæ Libatas vocat, oblatus Patri est veneficus qui-
dam, muliebri cultu capillo promisso, fimbriisque cin-
cinnorum in velleris speciem intortis: quem barbari
pluiae, sanitatisque Deum arbitrabantur; ex eo cum
quæreret Pater, quamobrem ipse cum vir esset, mu-
liebri veste viteretur, respondit, dæmonem, qui decla-
rare solet, quo quisque fato nascatur, matri prædixisse,
fore breui ut ipse moreretur, ni sexum mutaret: ic-
circo se muliebri vti vestiu: tum Pater comam eius
totondit, ceteraque superstitionis insignia, & instrumē-
ta in ignem coniecit; cumque imber subito coortus es-
set, ceteris sub tectum dilabentibus, veneficum Pater
vinculum sub dio magno omnium risu constitui iussit,
ut quoniā is pluiae se Deum iactaret, suo se nomine
ab imbre defenderet. Ex eo loco ad alium pagum con-
tenderunt, cuius dominus iam pridem Christo nomen
dederat; ibi præter Crucem templum etiam construi
cœptum est, tanto Christianorum studio, ut Pater
priusquam discederet rem diuinam in eo faceret.
Eius pagi dominus signis idolorum diffringendis miri-
fice delectatur: atque in hac re duo sane miranda con-
sigisse

tigisse narravit, alterum, quod cum suos campos sic-
citas antea vrire soleret, postquam Christiana sacra
ipse suscepit, atq. idola subuertit, nunquam tempesti-
uos imbres desiderauit. Quam admirationē illud etiā
auget, quod effusus imber cum Reguli campos irriga-
uit, vicinorum agros, qui idola demoliti non sunt, non
attigit: alterū, quod cum Hippopotamus ad illum pa-
gū excurrisset, à Christianis facillimo negotio perem-
ptus est, cum antea non nisi magna cum hominum cæ-
de huiusmodi bellus confici solerent. Sunt autem Hip-
popotami fluuiatiles equi, elephantorum magnitudi-
ne, aliqui etiam superiores, terra pariter, ac flumine
infesti; linters enim tētibus, calcibusq. subuertūt, & in
terram exslientes omnia cædibus compleant. Igitur cū
Pater ad Banzani Reguli pagum peruenisset, ipsum
Regulum habuit obuium lēta voce canentem Pater
Noster; cumque dies aliquot apud eum substitisset,
plurimaque idolorum simulachra incendisset, cum Re-
gulo in castra rediit, vt ibi maiore cum apparatu ba-
ptismus perageretur. Exceptusq. Regulus est à Præ-
fecto ingenti omnium gratulatione, festiua tormento-
rum displosione, tubarumque cantu. Postero die son-
ga à nostro Sacerdote baptizatur, eique de Præfecti
nomine, qui de baptismo suscepit, Pauli nomen est in-
ditum, additus etiam regij arcus honos, quo gentis
ritu Dux Aethiopum crearetur; permisumque ei, vt
coram Prætoribus sella tapetibus ornata veteretur:
qui honos apud Aethiopēs maximus, ei hactenus vni
à Lusitanie Regibus delatus est, qui primus è Congen-
si nobilitate ad Christi fidem venit. Versatus est in ca-

O 29

G

stris

stris alter Sacerdos menses quattuordecim. inde in Insulam Loandam reuersus diem solemnis baptismo indexit; baptizatiq. sunt ducenti decem, & septem. Quia in re admirabile exstitit Catechumenorum studium, qui cum tantum nauium non haberent, quae vniuersis traiiciendis satis essent; impositis in naues mulieribus puerisque, ipsi viri nando latissima maris spatia transmisere, non sine magno vita discrimine ob Tubarones (piscium genus id est) qui maria illa infesta reddunt. alter autem Sacerdos adhuc in castris versatur, atque tum Lusitanorum, tum Aethiopum salutem diligenter procurat. Idem cum in oppida, quo ad Coansæ ripam constructa sunt, excurreret, in ipso fluminis ostio populos reperit in concavis arborum inter cancros habitantes, sic ut apud ipsos valde familiariter cancri nundinentur, ac per ora, cibosque sine ullo horrore errent; in ea excursione Pater Christianos fecit, praeter pueros, quadringentos; multisque in locis idolorum templis destructis Christi crucis trophya constituit. Ipse quoque loci Dynasta, in quo castra Lusitani habent, christianis preceptionibus informatur: atque Cambambes Regulus, in qua regione montes illi argento fertiles visuntur, missis legatis, vltro Lusitanos in suā regionem inuitat. Quid plura? messis quidem multa, operarij pauci, qui si venerint, non dubitamus, quin Angola tota breui sit in Christi fidem ventura.

PRO-

PROVINCIA

INDIAE ORIENTALIS.

N Provincia Indiae Orientalis plurima visuntur Societatis domicilia locorum interuallis, regionibusque valde inter se disiuncta, atq. dispersa: Collegia tamen, (Iaponis insula excepta) numeratur quinque, Residentiae propriæ, ac distinctæ nouem; quibus Collegijs, Residentijsque alia plurima loca adiuncta sunt, in quibus nostri tanquam in missionibus rem christianam procurant. Sociorum in uniuersum trecentorum est numerus. In Collegio Goensi habitant nonaginta, in Salsetano duodecim, in Bazainensi totidē, in Cocinensi duo, & viginti, in Malacensi, viginti, in Residentia Chaulana, quinq. in Tanensi, et Bādorensi duodecim, in Damanensi sex, in Coulanensi, & ora Trauancori octo, in Punicalensi, & ora Pescariæ sexdecim, in Residentia sancti Thomæ quattuor, in Aethiopica tres. his additur Amboinensis, & Sinensis: de quibus partibus quoniam annuæ litteræ neque hoc, neque Superiore anno perlatæ sunt, nihil dicam in præsentia. Reliqui verò nostrorū per Provinciam dispersi degūt. Ex hoc nostrorum numero vita decessere octo, pro quibus in Societatem sunt admissi duodecim; in his filius Comitis Aloisii, qui ante hunc Preregem Indijs cum Imperio præfuit. Ex ethnicis autem hoc anno ad Christianam Religionem conuersi sunt circiter duo millia.

G 2 COL-

PROVINCIA
ACCOLLEGIVM GOENSE.

Goæ nostri omnibus diebus festis, quattuor in tem-
plis concionantur magno auditorum concursu,
& fructu. Confessionum vero, & communionum in tē-
plo nostro, iubilæi præsertim temporibus, festisq. præ-
cipuis, extraordinaria frequentia est, quibus commu-
nicantes interdum numerati sunt ad duo millia. Per
quadragesimā sextis quibusq. feriis supplicatio habe-
ri solet, in qua semper amplius trecenti sese flagellis
diuerberant. Solēt etiam nostri diebus festis sub ueste
ram in parœcias urbanas, triremes, publicasque custo-
dias exire christianæ doctrinæ tradendæ gratia; neque
solum christiani instruuntur, & confirmantur, sed
etiam Ethnici semper aliqui Christo lucrifiunt. Cum
P. Rector Collegiū festo die S. Pauli, cui Goense tem-
plum dicatum est, baptismum celebrare constituisse;
doctrinæ magistros hortatus est, vt in eum diem ca-
techumenos aliquot instructos, paratosque haberent;
quod cum singuli in se recepissent, ac præstitissent, ipso
Apostoli die quadringenti baptismo expiatis sunt. Hac
prædam ē suis faucibus eripi dæmon ægretulit vide-
licet; legatosq. Regum Ethnicorum instigauit, vt que-
rerentur ab se mancipia, famulosque per iniuriam ab-
ducuntur: qui tamen dæmonis conatus egregia cathecume-
norum constantia, ac pietate fractus est. Hi enim in iu-
diciū vocati, ac legibus interrogati, libere testati sunt
sua se sponte, suæq. salutis causa ad Christi fidem ve-
nire. Itaque sancti Pauli die omnes catechumeni lon-
go agmine ad templum nostrum venerunt, ubi Archi-
episcopo,

episcopo, Prorege, aliaque nobilitate inspectante baptizati sunt. Alio tempore cum naues profectionem pararet, unus e nostris, qui macipis, remigibusq. christiana doctrinam tradebat, eos periculorum, tempestatumque monuit, quæ in tam longa nauigatione adiri solent; bortatusque est, ut contra ea baptismo se munitent: cuius oratione inducti triginta nostro in templo sacro fonte renati sunt. Tertius baptismus pueris orphinis quadraginta celebratus est, quos ipsi parentes clam Goam aduexerant. Præter hos baptismos aiij multi priuatum peracti sunt: multi etiam adhuc catechismo imbuuntur; ac propediem Xalechan Mealis, Mauri Regis nepos Deo iuuante baptizabiturs ad quæius pertinet eorum regnum, quæ Idalchan obtinet. Templum nostrum laxatum est fornicibus quibusdam exstructis; in quam ædificationem Pardaum duo milia sunt erogata. Sacrum quoque instrumentum multis ornamentis auctum, quæ mille pardauum summam efficiunt.

Huic Collegio adjuncta est Residentia in Insula Choram, cuius incolæ numero ad tria millia christiani omnes sunt, suæque religionis retinentissimi: quippe qui nullum cum ethnicis commercium habere volunt, neque christianis inter ethnicos versantibus filias dant in matrimonium, ne forte barbarorum consuetudo, vicinitas aliquid religionis puritati officiat: in Insula vero nullum omnino habitare patiuntur, qui christianis legibus, moribusque non vivat. per quam occasionem baptizati sunt hoc anno quadraginta ex ijs, qui ex vicini barbarorum regionibus ad insu

G 3 lam

Iam conuenerant. Mulier quædam christiana exoriis
quibusdā inter ipsam, virumque controuersiis ad Bar
barorum regionem transfugit, seque pagodum cultui
ac religioni dicauit, quæ religio apud Barbaros in eo
consistit, ut mulier proposita sit omnibus, neque à Re
ge, aut Præfectis cogi potest, ut ad maritum reuerta
tur. hæc tamen vnius de nostris opera, atque industria
in suorum scelerum cognitionem, ac detestationem ve
nit, maritoq. redditia est. Alia similiter mulier annis
superioribus in continentem cum filiolo profugit, atq.
ad barbarorum ritus delapsa filium in ijsdem supersti
tionibus educauit, qui cum annum decimum quartum
attigisset, seque olim baptizatum didicisset, ad insulā
redijt, honestoque matrimonio coniunctus est: idque
nunc satagit, ut matrem etiam in eandem veritatis
viam reducat.

COLLEGIVM SALSETANVM.

Collegij Salsetani Socij præter catechumenorum
Domum, & orphanorum seminarium, sex quoq.
Christianorum Ecclesias administrant, in quibus Chri
stianorum capita censemur octo millia, Rei Christianæ
cursum in his partibus bella, dissensionesque plurimū
retardarunt, vastata circum quaq. regione, templisq.
omnibus succensis: quæ tamen nūc ex Dei beneficio re
surgere cœpit, templaque restitui, ex quibus quattuor
ad tectum perducta iam sunt. Vni ex his Ecclesiis à Di
u Michaeli nomen est inditum, abestque ab hostiū fi
nibus passuum tria millia, in cuius Archangeli festum
diem

diem cum Pater celebrem baptisum apparasset, re cognita Barbari decimo quinto ante baptismū die excursione facta templum incenderunt, aras, imaginesq. omnes disturbarūt, rati ea ratione catechumenos deterreri, remq. totam impediri posse. quod longe aliter euenit, templi enim incendio catechumenorum pietas exarsit magis, sic vt intra quindecim dies templū è ligno cōstruxerint, nouaq. tabula S. Michaelis ornarint; cuius dies festus baptismo candidatorum centum celebratus est. Quo exemplo aliæ item Ecclesiæ festis Diuorum tutelarum dies solemini aliquo baptismo celebrare solent; baptiz atiq. sunt hoc anno amplius sextēti, adeoq. est auctus Christianorum numerus, vt ad sex illas Ecclesias alias quattuor adiungere necesse fuerit. Porro in gentiliū conuersionibus, ac baptismis multa quotidie accidunt admirabilia, queq. Dei prouidentia maxime declarant. Fratre vno catechismum populo explicante ex auditoribus quidam subito morbo corruptus ad terram corruuit, cumq. omnium iudicio mors instare videretur, omni festinatione euocatus est P. Re ctor vt illum baptizaret. mirum dictu. simulatq. salutari aqua perfusus est, sanus vigenfq. surrexit. Alius, cum ex palmæ arbore decidisset, eoq. casu grauiter afflicitus semianimis iaceret, baptismum postulauit; quo expiatus illico in cœlū migrauit. Adolescens est quidā annos natus quatuordecim in Collegio Goësi olim nostrorum disciplina institutus. is ad matrem seruitute eximendam clam omnibus in Maurorum regionem profectus, paucis post diebus eam in patriam perduxit, ubi cum anus in grauem morbum incidisset, filius

G 4 christia-

christianis præceptionibus (gentilis enim erat) instituit, vnumq. de nostris accersiuit, qui eam baptizaret quæ baptismò suscepit postero die vita sancta est; matrisque funus filius secutus est non lacrimans; ut certi, sed Dei optimi maximi in matrè misericordiam, pietatemque prædicans.

COLLEGIVM BAZAINENSE CVM
Residentijs Septentrionalibus.

Bazaini res christiana procuratur à nobis diligenter, atque ad Ecclesiam hoc anno aggregati sunt circiter ducenti. Habent etiam nostri potestatē à Pro regibus suscipiendi pueros, qui parentibus orbantur, vt eos christianis præceptis, moribusque instituant, ac baptizent. Accidit autē hoc anno, vt pueri quattuor parentibus orbarentur, quos cum affines ethnici in paterna religione retinere vellent, tamē summa nostrorum contentione perfectum est, vt pueri in domum catechumenorum reciperentur. qui postea magna ipsorum voluptate, gaudioque baptismum suscepserunt; quod ipsimet pueri cum interrogarentur, ingenue præseferabant. Baptizatus est etiam quidam natu iam grandior, qui prima ætate cū parentibus captus à Turcis, & in servitutem abductus, matris institutione christianam religionem animo semper retinuit, nactusque fugiēdi occasionem, de matris consilio ad hanc christianorum urbem profugit, ac baptismi sacramento ad Ecclesiam adiungi voluit. Ad conciones, confessiones, communionesque magnus concursus fieri solet: natali quidem

quidem certe B. Virginis die septingenti in nostro templo communicarunt.

In alijs Residentijs christianorum numerus crescit in dies. In Fanaensi enim baptizati sunt circiter sexaginta: par numerus fuit in Trinitatis, ac S. Ioannis Residentijs. In Bandoresi autem cathecumeni numerantur octingenti, quorum baptismus propediē Deo dante celebrabitur.

COLLEGIVM COCINENSE.

Cocini baptizati sunt hoc anno centum, inter hos adolescens Hebreus annum agens decimū octauum, quem paullo post secuta mater est, ac propediē idem etiam fratrem facturum speramus, ante hos soror ad Christi fidem venit, & christiano cuidam honesto, ac locupleti viro collocata est. horum omnium baptismus, quoniam familia inter suos nobilissima est, cū solemini apparatu, & cærimonia est peractus. Concio-
nes magno numero auditorum, & fructu frequentan-
tur, cum enim aliquando concionator ad benignitatem
in pauperes populum esset cohortatus; mulieres duæ
eo ipso die vocatis Misericordiæ sodalibus, altera
quædringentos, altera octingentos Pardaos dedit, qui
pauperibus distribuerentur. Eadem frequentia ad con-
fessiones, communionesque cernitur, ac singulis mensi-
bus in nostro templo quingenti circiter communicant.
quam ob cauſam templum laxari omnes cupiunt, at-
que in eā rem pardai duo millia sexcenti collati sunt:
ad templi vero ornatum mille, & sexcenti.

Huic

Huic Collegio tres adiunctæ sunt Residentiæ, quærum prima V aipicotta dicitur in montibus sita, quindecim ab Cocino in septemtrionem passuum milibus, in qua Christiani habitant, quos à Diuo Thoma primum conuersos ferunt, qui tamen cum religione Christiana plurimos postea errores ex Nestorianis hæresi hauserunt: à quibus erroribus nostrorum cura, & diligentia paulatim abducuntur: nam, & nostris confessentur, & filios iisdem baptizandos deferunt: ipsi etiam Casanari (sic enim Sacerdotes vocant) missam ritu Romano celebrare addiscunt.

Altera Residentia est in regno Mutertis, pari ab Cocino in Meridiem passuum interuallo, in qua templum anno superiore constructum est, quo annos duodecim caruerant, dum eius ædificandi potestate ab Rege impetrare non possent. anno vero Superiore Rex non solū templi exstruendi potestate fecit, sed etiā materiā necessariā ex Pagodū suorum lucis cædi iussit, permisitq. ut qui vellent Christianā religionem susciperent; nostris insuper dedit potestatem pœnis coercere Christianos, qui Christianis moribus non viuerent. Itaq. templum summis Etnicorum, et Christianorum studijs perfectum est, quod cum aliquando inuisisset Rex, eius formam laudauit plurimum, iussitque ornari prout Dei Domum deceret. Incidit templi confessio sub festum S. Andreæ Apostoli, quare de eius nomine templum est appellatum; erga quem Apostolum non solum Christiani, sed ipsi etiam Barbari præcipua religione afficiuntur, cuius precibus, meritisque quæ pertinent impetrare se testantur. Ethnicus quidam, cum

rem

rem sibi carissimā amississet, mouit si recuperasset, certam se pecuniae summam Sancto daturum; itaque reuinenta ad templum venit, & pecuniam obtulit. Inter eos qui in construendo templo laborant, Faber est quidam lignarius Ethnicus; is, cum aliquando multo abduc die ab opere domum, que longe aberat, discedere vellet, rogatus est ab Lusitano quodam, ut quoniam diei tantum superasset, paulum produceret laborem, cui faber vereri se respondit, ne quid sibi aduersi contingaret, si noctu iter faceret. An tu, inquit Lusitanus, ignoras, quis, quantusque sanctus sit Andreas, cuius templum exstruis? & quod incommodum tibi intra hoc tempus accidit? cum Faber negaret, quin tu, inquit, Lusitanus laborem prosequere, ac D. Andreæ opem tibi semper presentem fore confidito: hac oratione inductus faber ad opus rediit, cumque sub vesperam discessisset, in itinere serpens venenata ipsius pedes circumPLICauit: quare ille perterritus D. Andream inuocauit, statimque eum serpens reliquit. Alio tempore cum ethnici quidam die festo piscarentur, neque quidquam caperent, cœperunt (ut est genus hominum superstitionis) eius rei culpam in templi constructionem conferre: quod cum Patri nunciatum esset, conuocatis ad se pescatoribus, fallimini, inquit, si existimatis tēpli vicinitatē pescatui officere: iccirco autem nullos pisces cœpistis, quod festos dies non colatis; quod si ceteris diebus pescaremini, caperetis utique. paruerunt illi; cumq. die in sequenti pescatum iuissent, magnam vim piscium cœperunt.

Tertia

Tertia Residentia S. Iacobi est in Palucte, cuius templum ante annos duodecim constructum est. Christiani omnes fere sunt; propterea quod singulis annis ad Christum adiunguntur aliquot: hoc autem anno ipsius Apostoli festo die baptizati sunt centum.

O R A T R A V A N C O R I ,
& Pescariæ.

IN ora Trauancori, quæ ad Comorini usque promontorium patet in longitudinem passuum milibus quinque, & septuaginta, Christianorum Ecclesiæ numerantur viginti quatuor: in ijs censentur Christiani ad nouem millia, in quibus tum erudiendis, tum à tiranorum vexatione tuendis nostri plurimum laborant. D. Andreæ templum in Paimeli tribus ab Coulano passuum millibus bis hoc anno ab ethnicis eversum est: quod tamen facta reædificandi potestate breui restituetur. In alio item loco vicino, cui Parū nomen est, et in quo Christianorum visitur pagus, templi ædificandi potestas impetrata est, quam decem ipsis annis impremitare non potuerant.

Eadem studia nostrorum, fructusque idem constituit in ora Pescariæ, in qua hoc anno generales confessiones auditæ sunt mille quingentæ quinquaginta, multi communicarunt: quanquam ad id sacramentum, non nisi lente probati admittuntur; tamen festis præcipuis ducenti ferme communicant; die vero Epiphanie in prima noui eiusdem Sacerdotis Missa communicaunt ad trecentos, itaque restitutiones fraudatæ pecuniae

nix multæ sunt factæ; repertæque sunt mulieres, quæ
suo se labore maritis victimum quæsturas pollicerentur,
si accideret, ut ob restitutiones ad inopiam redigeren-
tur. Solēt etiam aliqui præcipue auctoritatis viri, aut
qui magistratu funguntur, cum ad confessionē veniūt
eorū veniam quæ commiserint palā petere à populo;
quod tres hoc anno magnæ dignitatis viri singulari cū
exemplō præstitere. Templa, Crucesq. in summa sunt
veneratione non solū apud Christianos, sed etiā apud
ipsos ethnicos, qui ex mediterraneis regionibus ad Cru-
ces adorandas veniunt; eisque magna dona offerunt:
sunt etiā qui patrijs versibus vario metro conscriptis
Sanctissimæ Crucis laudes celebrant. itaq. ex collatis
eleemosinis heremitorum P. Provincialis iussu con-
structum est amplius mille pardam sumptu. In oppi-
do item Tutucuriri, quod præcipuum est tractus illius,
templum B. Virginis Pietatis fabricatum est ex ele-
mosinis, quæ ad summam peruererunt septingentorum
aureorum, multisque preciosis munieribus ornatum: in
eo templo festo die Niuium res diuina primum cele-
brata est, communicaruntque circiter sexcenti. Curat
etiam nostri publicum valetudinarium, ad quod ex
tractu viuero aegroti confugiunt, ad quos sustentan-
dos hoc anno ducentorum viginti aureorum eleemosi-
na corrogata est. Quadragesimæ tempore P. Rector
in Manar insula cum aliquot de nostris versatus est,
ac plurimorum confessiones audiuit, neque sine fru-
ctu, qui cum in alijs, tum in viro quodam nobili ma-
xime eniuit, cui non petenti cum aurei quingenii es-
sent oblati, recusauit accipere, quod suspicaretur eos
iccirco

iccirco sibi dari, ut contra ius ei, qui dabant fauere congeretur. Alius similiter vir nobilis cum magnam pecuniam haberet, quae tamen nostris erat suspecta, eius rei veniam a populo postulauit; & quoniam tunc necessarium iter habebat, singrapha de restitutione cauit. Idem Rector cum totam illam oram P. Prouincialis mandato lustraret, & ad quoddam oppidum appropinquaret, obuiam ei ad nouem passuum milia processit vir quidam primarius, & christianus, qui tamen pessimis moribus christiani nomen magna cum omnium offensione dedecorabat: & quo licentius absque metu nostrorum omni impuritati se traderet, multos annos a patria absueratis tunc diuinitus permotus Patri obuiam factus ad ipsius genua accidit, eique se totum commisit, ac tradidit, quem Pater cognita hominis humilitate, ac Superioris vita detestatione ad gratiam, & amicitiam admisit. Alterius quoque oppidi ciues cum nescio quod flagitium commisissent, atque ob eam caussam ad eos Pater nollet accedere, præcipui quique, ac multi e plebe Patrem conuerterunt, seque in eius potestate fore dixerunt; id vñ orantes ne Missa, concione, alijsq. christianorū exercitationibus priuarentur.

RESIDENTIA AE THIOPIAE.

EX ijs omnibus, qui cū P. Andrea in Aethiopiam iuerunt, tres tantum superstites sunt ætate prope consecuti; quorum labor omnis, & industria ponitur in quingentis catholicis tuendis conseruandisque dum vel

INDIAE ORIENTALIS. tri

vel Regio illa ad catholicam Ecclesiam redeat, vel multitudo illa Christianorum ad Indiam transferatur, ne diutius inter tot schismaticos, Maurosque ipsorum Fides, ac religio periclitetur.

MISSIO AD REGEM MOGOR.

Anus est tertius, cum Rex Mogor, qui inter Gargem, & Indum in Septentrionem late imperat, missis ad Proregem Archiepiscopum, & P. Prouincialem litteris aliquot è nostris ad se euocauit studio, ut ipse dicebat, veritatis cognoscenda: missique sunt tres, quos ille extra ordinarijs benevolentiae signis exceptit, semperque habuit apud se, sermonesque de religione auribus libentissimis accipiebat. Cum autem res longius duceretur, nec aliquis exitus illius missionis ostenderetur, veritus est P. Prouincialis, ne illa omnia à Rege facto studio, ac simulata benevolentia fierent; eoque magis quod gentis illius nobilissimi quique vino maxime, & libidini dediti sunt: quæ duæ res mentem occœcant plurimum, ne veritatis lux videri possit. Itaque unum ex ijs Patribus per litteras, ad se renocauit, ut rem totam certius cognosceret: cù autem is rem multo magis dubiam retulisset, etiā reliquos duos Patres renocare constituit, ratus fore, ut vel sic suū Rex animū aperiret. Quo tempore nostris redditæ sunt à P. Prouinciali litteræ, Rex legationē ad Regē catholicū adornabat, qua illi nouā Regnorū possessionē gratularetur, unūq. de nostris cū legatis mittere decreuerat, cui se comisisse dicebat, quæ maioris mo-

ris momēti essent. Quæ omnia et si ficta esse apparebat
 (eo enim ipso tempore Damanum, quod castrum in Lu-
 sitanici Imperij finibus positum est, summa vi oppugna-
 bat) visa tamen est P. Provinciali opportuna occasio
 P. Rodulfum Aquam viuam recuperandi, quem ex
 omnibus Rex habebat carissimum, nec vlla ratione ab
 se dimittere volebat. Itaque egit cum Prorege, vt ad
 Regem Mogor scriberet, vt cum legatis P. Rodulfum
 mitteret; cumque P. Rodulfus discedendi pote-
 statem peteret à Rege, negavit scilicet, ac
 se potius legationis mittendæ consi-
 lium omne abieciendum dixit.

Quare expectamus ad-
 luc quem tandem
 exitum hæc
 missio
 sit habitura.



PRO-

AIDIVI
PROVINCIA ¹¹³
TOLETANA.

NOSTRI in Prouincia Toletana quinque, & virginii supra quingen-
tos numerum explet, in quattuor-
decim domicilia distributi. In Domo
Professa Toletana tres habitant, &
sexaginta, in Domo Probationis Vil-
laregosi sexaginta, in Collegio Complutensi centum, et
decem, in Madritano sexaginta, in Naualcamerovi-
ginti, totidem in Carauacensi, in Placentino octo, &
viginti, par numerus in Conchensi, in Ocanensi octode-
cim, in Huetensi viginti quattuor, in Murciano duo, et
triginta, in Belmōtensi quinque, & viginti, uno plus in
Sicuritano; in Talabrigensi (quod pro Oropesano hoc
anno institutum est) unus, & viginti. Morte sublati
sunt decem: quorum loco unus, & quadraginta in So-
cietatem se dicarunt.

DOMVS PROFESSA TOLETANA.

TOLETI in eo cōcilio, quod Archiepiscopus coegit,
vnus de nostris magna hominū admiratione con-
ciones habuit: Institutæ quoq. sūt ad publicas meretri-
ces singulis hebdomadis de diuinis rebus cohortatio-
nes; idq. eo fructu, vt nulla sit hebdomada, qua non
aliqua earum ab ea impuritate abducta, vel matrimo-
nio coniungatur, vel sacro Cœnobio sese includat.
In hospitales domos, custodias publicas, atque in
puerorum abecediariorum scholas, iuerunt nostri

H fre-

frequenter, ad sui quemque officij munus instruentes. Aduentus, Quadragesimæque temporibus Sacerdotes viginti, alij aliò christianaæ rei caussa dimissi, omnes præclaros suæ peregrinationis fructus retulere. Archiepiscopus Societatem amat plurimum, eiusque in nos officia omnia existunt, quæ ab optimo, & amantissimo principe optare possumus. is, Talabrigensi Collegio exstructo, id nunc cogitat, ut alterum nobis Toleti conficiat, neque res multum à conjectione abest: senatus certe, cum Archiepiscopi consilium intellexisset, viros designauit ex suo ordine grauissimos, qui Archiepiscopo ea de re gratias agerent; propterea quod insignem utilitatem eo Collegio instituto sperent.

COLLEGIVM COMPLVTENSE,
& Madritanum.

IN Collegio Cöplutensi Theologiae, ac Philosophiae scholæ, sacræque conciones, insigni auditorum frequentia celebratæ sunt; usque eo, ut ad eas audiendas ex vicinis urbibus multi confluarent: quibus permoti non pauci, se ad varias religiosorum familias applicarunt; quattuor, & viginti Societati nomina dedere. Exercitijs spiritualibus centum circiter exculti sunt, Aduentus vero, & Quadragesimæ temporibus, qui se Domi nostræ ter singulis hebdomadis flagellis cœderent, amplius septingenti numerati sunt. quam postea piam exercitationem multi religiosi viri non laudarunt solum, sed etiam pro virili parte imitati sunt. Solent

lent etiam nostri visitata iam Societatis consuetudine, in urbis compita exire, cœtibusq. hominum se se concionabundos immiscere. In quā consuetudinem cū vir grauis, & religiosi cuiusdam ordinis princeps, frequenti populo, pro concione inuestitus esset; faciendum sibi existimauit noster concionator, ut cum in eodem templo, festo die S. Michaelis Archangeli, concionē haberet, eam vicissim laudaret, ac populo probaret: itaque infrequentissimo senatus, totiusque Academiæ confessu (qui ob eius diei celebritatem veteri quodam Academiæ instituto conuenerant) atque innumerabili præterea populi multitudine audiente repetita à primis nascentiis Ecclesiæ primordijs memoria, ostendit in omni ætate consuetudinem illam populos docendi à uiris sanctissimis suis seruatū; eamque tandem hominum negligentia intermortuam, à Societate renouatam; idque tanta orationis grauitate, testimoniiorum copia, doctrinæque elegantia, ut multos dies aliud fere nihil in hominum sermone versaretur. Eorum qui carcere detinentur non animis solum, sed etiam corporibus nostri subueniunt: nam emendicatis publice eleemosinis prandium singulis dominicis diebus domi apparatum, ad iunctos in carcerem deferrunt; cumque eorum animos pio aliquo sermone pauperint, corpora etiam cibo reficiunt. Egerunt idem cum Prætore urbano, ut ex multaticia pecunia pars aliqua seponatur ad Sacerdotem alendum, qui inclusis in carcere rem diuinam faciat.

Eadem etiam frequentia Madriti in scholis humanitatis visa est, quæ à sexcentis amplius celebrantur

ex præcipua Hispaniae nobilitate adolescentibus: inter quos, qui in Conuictorum Collegio (quod Collegiū hoc primum anno institutum est) vel in B. Virginis sodalitate adscripti sunt, iij longe ceteris pietate, ac nobilitate antecellunt. Neque minore multitudine Sacramenta in templo nostro frequentata sunt: nam ordinarius communicantium numerus sexcentorum circiter fuit, festis vero anni celebrioribus trium fere millium: ita ut communicantium hoc anno in uniuersum capita censa sint sex, et quinquaginta millia, quorum multi ex varijs sceleribus, quibus erant implicati, ad insignem vitæ, morumque emendationem perducti sunt.

C O L L E G I U M O C A N I E N S E,
Belmontense, & Sicuritanum.

IN Collegio Ocaniensi tanti sunt confitentium cursus, ut nostri perpetuam quandam quadragesimam habere sibi videantur. Scholæ humanitatis discipulos numerant quingentos, quorum aliqui illustrium virorum filij è remotissimis regionibus gymnasii nostris fama commoti venerunt. Res christiana in eo Collegio bene gesta est, multorumque animi dissidentes inter se reconciliati. Vir ob quasdam falsas suspicione sacerdoti per mancipium necem struebat: quod cum venus de nostris inaudisset, utrumque domum accersuit, reique veritate patefacta, alterum alteri placauit: atque restituit. Parens quidam cum filiam in manifesto flagitio deprehendisset, in eum furorem exarsit

sit homo præsertim ira subita, ac præcipiti, vt filiam omnino interficere constitueret; rationemque machinabatur, qua id occulte efficere posset, quo omnem à se facti suspicionem auerteret; is tamen nostris deprecantibus, & à furore deductus est, & filiæ omnia condonauit. Alius adolescens inductus est, vt fidem virginis nobili præstaret, quam spe, ac matrimonij promissione corruperat: atq. ea ratione malis, quæ ex ea re existissent, obuiam itum est, cum puellæ cognati armis perfidiam vlcisci statuissent.

Collegij Belmontensis fundatio, quam tot annos nostri optauerant, hoc demum perfecta est D. Franciscæ lectissimæ virginis, ex illustriſſima Ponzeleonis familiâ liberalitate, cum amplissimam hæreditatem, quæ ad ipsam parentum morte venerat, Collegio adsignasset: cuius præterea multa munificentæ officia in templum nostrū exstitere, quod veste, ac suppellectili pretiosa valde locupletauit. Scholæ discipulos habet quingentos præclaræ omnes indolis. In Collegio autem Scuritano Philosophiæ curriculum quindecim è nostris auditoribus, alijsq. præterea externis aliquot hoc anno institutum est, atque continuatur feliciter.

COLLEGIVM MVRCIANVM.

Murciani Collegij fructus tum in alijs rebus, tum præcipuæ in pauperibus iuuandis ijs, qui in triremes damnantur, constituit; quorum cum ducenti summa hieme, in eam urbem peruenissent, vi Carthaginem deportarentur plurimi, quod

H 3 absen-

absente Prætore nullus esset, qui eis victimum, vestemq.
curaret, alijsq. præterea incōmodis præmerētur, quo-
tidie interibant: quare nostri corrogatis raptim elec-
mosinis, quæ ad victimum, vestitumq. necessaria erant,
suppeditare cœperunt; atq. à Prætore impetrarunt,
vt affecti ex carceris pædore in locum salubriorem
transferrentur. atque ita eorum corporibus, multoq.
magis animis prospectum est, cum omnes per eam oc-
casionem crimina expiauerint, Christiq. corpus sum-
pserint; Sed etiam contagio compressa est, quæ ex in-
sueto odore orta in vrbe serpere sensim incipiebat.
Eorundem sociorum opera ingens seditio sedata est,
quæ ciuitatem in duas factiones distractam, odijs, ac
ferro armauerat. Viri quoque magnæ auctoritatis in
mutuam concordiam, & amicitiam reducti sunt, qui
oborta quadam discordia, armis interse decernere
constituerant. Alius, qui viro nobilissimo necem ma-
chinabatur, ab eo scelere deterritus est.

COLLEGIVM TALABRICENSE.

Collegium Talabricēse, vt ante dixi, in locum Oro-
pesani succēsit, quod Collegium Spe certæ funda-
tionis annos quattuordecim retentum, mortuo rādem
fundatore, omnino relictum est, in cuius dissolutione
ciuitas præsetulit perspectum nobis quidem antea, &
cognitum, sed nūquam illustrius amorem in nos suum,
cum plurimi, vt nos retinerent verberationes, voti-
uasque ad sacra loca peregrinationes suscepserint. Sed
vt ad Talabricense reuertar illud hoc anno. Illustrissi-
mus

mus Gaspar Quiroga Cardinalis, Toletanus Archiepiscopus fundauit annuo milleñorum aureorū censu, idemq. in domesticum instrumentum aureos mille præsenti pecunia curauit, atque ad habitationem nostris vīsibus accommodandam aureos ducentos dedit; in quotidianos præterea sumptus, dum ex uectigali fructus percipiatur, aureos quingentos, & frumentodios quinquaginta attribuit. Hisce initij Talaabricam tres profecti sunt de nostris, vt Collegij statum collocarent. hi cum in urbem peruenissent, offenderūt oppidanorum animos nonnihil esse à nobis alienos: quare vñus ex ijs Sacerdos, cum Senatum conuocasset, ita verba fecit, vt doceret quo consilio in ea urbe à Cardinali essemus collocati, quod societatis institutū, quæ nostra esset ratio instituendæ iuuētiis; quid nostris in alijs munib⁹ exercēdis propositum esset, cuius oratione apparuit magnam esse factam animorum, & voluntatum commutationem; quod etiam clarius in ipsis sermonibus, & congressionibus cognitum est. Domus nostra in præclaro vrbis loco sita est è regione templi cuiusdā nobilissimi, quo nostri interim pro suo vtuntur, magnique ad eos confessionum communionumq. caussa concursus quotidie fiunt. Scholæ sub finem mensis Octobris apertæ sunt magna hominum gratulatione, & expectatione: discipuli iam ducenti numerantur, & eo amplius. Instituta est nostrorum opera nobilium virorum sodalitas ad leuandas eorum necessitates, qui in carcere inclusi detinentur, quorum ob vrbis magnitudinem magna semper multitudo esse solet. Concionator vñus cum

H 4 alio

alio confessario vicina vrbis loca obierunt, plurimos
que Confessionis Sacramento expiarunt. Quibus re-
bus Talabrigenses ita Societati sunt adiuncti, vt
Deo gratias agere de nostrorum in eam
vrbem aduentu non desistant; idque
vnum ad cetera vrbis orna-
menta desiderari po-
tuisse dicunt.



PROVINCIA
CASTELLAE.



A S T E L L A E Prouincia in octodecim domicilia diuisa est: in ijs degunt Socij ad quingentos, in Domo Professa Vallisolettana octo, et trigita, in Collegio Vallisolettano septem, et triginta, in Domo Professa Burgensi viginti quattuor, in Collegio Bellimarensi sexdecim, in Collegio Salmanticensi septuaginta, in Abulensi quadraginta quattuor, in Segobiensi triginta sex, in Palentino octodecim, in Collegio Montis regalis unus, & viginti, in Ouetensi quattuordecim, in Compostellano viginti quattuor, in Legionensi quattuor, et triginta, in Lucroniensi unus, & triginta, in Onnatensi quindecim, in Pompeiopolitano nouem, in Numantino septemdecim, in Domo Probationis Medinensi quattuor, & triginta, par numerus in Domo Probationis Villagarsiæ. In Societate cooptati vnde viginti, Vita funeti sex.

DOMVS PROFESSA VALLIS O-
lettana.

IN Domo Vallisolettana hæc fere sunt. Femina quædam, nobilis viri concubina, nostrorum cōhortatione turpem illam, & infamem vitam detestata est, usque eo, ut Cœnobio etiam se sacraret; quo in loco magna cū sanctitatis laude versatur. Vir autem ea mulieris conuer-

conuersione commotus sese ad sacramenta frequen-
tanda non sine hominum admiratione dedidit. Sexde-
cim è nostris alijs alijs temporibus in vicina oppida
exierunt: quibus missionibus cum plurimi ad christia-
nos mores, vitamq. impulsi sunt, tum deterrita à fa-
cinore mulier quædā honesta, quæ vt alteri nuberet,
mariti morte domum vacuam facere cogitabat.

COLLEGIVM BELLIMARENSE.

IN Collegio Bellimarense, propterea quod ex eo
commodissimus in populos finitimos patet excursus
Archiepiscopi Burgensis liberalitate sexdecim
aluntur è nostris: quorum id munus est, vt in vicina
loca subinde excurrentes, populos ad omnes christia-
ni officij partes erudiant. Itaque varijs anni tempo-
ribus missiones quindecim factæ sunt in centum, &
octoginta oppida Burgensis Archiepiscopatus. in qui-
bus conciones habitæ quingentæ, confessiones auditæ
numero quinque millium: tantaq. fuit hominum mul-
titudo, qui à millibus passuum decem, duodecimq. ad
conciones confluebant; vt cum vniuersos templum
non caperet, in area cōcionari necesse fuerit. Christia-
na doctrina pueris tradita insigni cum hominum ad-
miratione, & voluntate, sic, vt ipsi locorum Præfe-
cti, ac Magistratus sua sponte ad supplicantium pue-
rorum agmen semet ipsos aggregarent. In Oppidis
quoque decem septem Rosarij, & Iuramenti Sodal-
itates institutæ, alijsq. in locis bene res christiana
gesta. Templo nostro multa preciosa munera data
sunt;

sunt; in his lampas argentea, cuius indicatura aureorum est centum, & septuaginta: quidam in templi ædificationem aureos mille testamento reliquit.

COLLEGIVM SALMANTICENSE

Salmanticæ per Quadragesimam discipuli ter singulis hebdomadis nostro in templo coiuere; ijs unus è nostris aliquod ex sacris historijs exemplum exponebat: inde ad verbera veniebatur. Ad hanc piam exercitationem ita multi ex Academia confluebant, ut Doctor quidam cum infrequentiam in Scholis miraretur, ad Collegium venerit exploratum, an omnes, qui desiderarentur, apud nos essent: cum autem omnia adolescentum referta reperisset, plurimum animo recreatus discessit. Ex discipulis, qui scholas nostras frequentant, octo sunt in Societatem admissi; in eo numero fuit Medinae Cæli Ducis fratris filius, adolescens virtutis, ac modestiæ singularis, de quo, cum is studiorum suorum cursum feliciter confecisset, omnia summa, & excelsa homines opinione præceperant. Mulier à turpitudine ad honestam vitam se recepit. Nobiles duo cum ab inimicijs, quas inter se gerebant, ad pacem, & benevolentiam mutuam traducti essent, nostris postea, quod pacificatores fuissent, gratias egerunt. Inuitatur nostri frequenter in pagos vicinos, ut populos christianis præceptis informent: ac nobilis quidam vir bonam vltro pecuniae summam nostris obtulit, quam in pauperes, egenentesq. erogarent.

C O L-

PROVINCIA
COLLEGIVM ABULENSE, ET
Segobiense.

IN Collegio Abulensi, & Segobiensi duæ sunt B. Mariæ Virginis nomine, cuius in fide sunt, Sodalitates institutæ: quarum sodales pietate, doctrinaq. longe scholasticos ceteros antecedunt. Sodaliū virtutis studium hoc anno multo magis incitatum est, promulgatis indulgentijs, quas Pontifex Max. huiusmodi sodalijs concessit: multorumq. cupiditas incensa sese ad eos aggregandi. Abulenses vero sodales per eam occasionem, etiam totius vitæ crimina generali confessione eluerunt. Ut triusq. porro Collegij templum magnū hoc anno cœpit incrementum: Segobiensis enim fundamenta iacta sunt; primumq. lapidem cū solemnī cœrimonia, & apparatu P. Provincialis posuit, Capitulo, et Magistratu vniuerso inspectante: Templo autē Abulense multis, & preciosis donis est auctum: crux enim ex argento, casulaq. tres damasco serico confectæ sunt, aræq. vestis textili argento, opere phrigio centum, & quinquaginta aureorum precio; quam pecuniam matrona nobilis, ac de societate opime merita erogauit. Aliæ duæ matronæ aræ fascias, siue frontalia totidē, operis eiusdē dedere, quarū alterius aureorū quadraginta, alterius centū estimatio est. Quædā etiā vasculū vaporariū suffimeti caussa aureis quadraginta comparuit. Aliæ præterea multæ eleemosinæ sunt collatæ. Ex hisce Collegijs binæ factæ sunt in Oppida vicina missiones, nec frustra; crimina enim expiarunt, Christiq. corpus suscepere ita multi, ut eorum frequentia sacrosanctam hebdomadam referret.

COL-

COLLEGIVM PALENTINVM,
& Montisregalis.

Collegij Montisregalis scholæ discipulis circiter
mille frequentâtur: inter eos hoc anno institutum
est, ut catechismi explicationi, quæ singulis diebus fe-
stis in Pagis suburbaniis haberi solet, omnes intersint.
Itaque diebus festis vniuersi in nostro Collegio conue-
niunt; inde bifariam diuisi, longo agmine in Pagos, qui
ab urbe absunt passibus plurimum quingentis, suppli-
cantium more procedunt: atq. sic fit, ut non ipsi modo
adolescentes, sed alij etiam complures eorum incitati
exemplo christiane religionis capita ediscant. Eadem
Palentinorum discipulorum virtus est, qui etiâ bis in
hebdomada flagris sese diuerberât. Palétie præterea
nonnullæ æris restitutiones factæ sunt; ex his vna du-
cotorum aureorum: Mulieres aliquot moribus mere-
tricijs nostrorum verbis vitam honestâ exorsæ sunt:
Exercitijs spiritualibus tum alij, tū Equites primarij
duo vacarunt. Ex his Collegijs aliquot in vicina loca
de more sunt dimissi; quorum concionibus plurimi ad
scelerum pænitentiam inducti, ac dissidentes pacifica-
ti: in missione autem, quæ ex Collegio Montisregalis
facta est, amplius duodecim millia rosariorum distri-
buta sunt, Iuramentiq. Sodalitium institutum.

COLLEGIVM OVETENSE, ET COM-
postellanum.

ET Collegij Ouetensis fructus positus fere totus est in
missionibus: ac præter eas, quæ diebus festis sin-
gulis fieri consuevere, quinq. suscepctæ sunt mensu triū
spatio.

spatio. In ijs cōciones, christianæq. doctrinæ scholæ alternis diebus habebātur; reliquū vero tēpus in audiēdis confessionibus ponebatur: quarū ea fuit frequētia, v̄t cum ab hora prima ad vesperam, vsq. opera ijs da retur; omnibus tamen satisfieri non posset. itaque multi à grauissimis sceleribus sunt erepti. Quidam cum dicatam Deo virginem fraude à monasterio extraxisset, atque in matrimonium duxisset; nostris agentibus, incestum matrimonium rupit, ac mulier monasterio redditā est. Alius vir nobilis, ac potens marito restituit vxorem, quam propria repudiata, annum iam septimum nefario matrimonio retinebat. Duo item alijs nobiles parētibus reddidere filias, quas per vim raptas nuptijs sibi adiunxerant.

Vberrimus quoq. fructus ille fuit, qui in Collegio Compostellano ex missione in oppida Comitū de Altamira perceptus est. plurimi enim confessionis sacramento expiati: cumq. ipsorum Comitum liberalitate, magnam vim rosariorum nostri comparassent, quæ diuididerent ijs, qui ad confessionem accederent; facta summa, rosariorum triginta millia distributa esse repererunt.

COLLEGIVM LEGIONENSE, ET Numantinum.

IN Collegio Legionensi ad Humanitatis, & Casuum conscientiæ scholas, Philosophiæ curriculum hoc anno accessit: scholæq. omnes magna auditorum frequentia celebrantur. Eiusdem etiam Collegij annum vectigal, quod aureorum mille fuit, aureis ducenis

cenis ab Episcopo fundatore est auctum. alia matrona nobilis aureos centum donauit. Eadem Collegio Numantino facta accessio est: Episcopus enim Osmensis ad situm scholarum coemendum aureos dedit sexcentos: tantumdem ciuitas ad templum ædificandum attribuit. Neque vero res spiritualis iacuit: magni enim ad nostros confessionis gratia concursus fiunt; usque adeo ut socij Numantini auxilium à P. Prouinciali petere sint coacti, propterea quod Sacerdotes quatuordecim multitudini, quæ confluueret, satisfacere non possent.

COLLEGIVM POMPEIOPOLI- tanum.

Collegium Pompeiopolitanum Lætissimam hoc anno frugem animorum effudit: anni autem consequentes meliore etiam in spe sunt. qui enim initio eius Collegij fundationem impediebant, ij ab incepto desisterunt, Regis nimirum denunciatione, qui, ut nostri ea in vrbe sedem haberent, omnino voluit, eorumq. patrocinium, & caussam senatui diligentissime commendauit: itaque ea fuit hoc anno messis, qualem ex novo agro nunquam ausi essemus sperare. Conciones tum in vrbe ad senatum, Proregem, sacrasq. virgines, tum in duobus castris ad milites præsidiarios habite; præter eas adhortationes, quæ post catechesiæ explicationem ad circumfusam multitudinem in compitis haberi solent. Eadem per Quadragesimam in carcere, publicisq. valetudinarijs præstata sunt. Multi spiritualibus exercitijs instituti; ex eo numero

Sacer-

Sacerdotes aliquot fuere: unus etiam Sacerdos eam ipsam ob caussam à leucis viginti contendit. Cum inter viros ecclesiasticos dissensio orta esset, ac iurgia quædam extitissent; unus è nostris omnes controversias composit, eumq. qui fecerat iniuriam, ut palam veniam peteret, induxit. Quidam cum filium, & uxorem interficere deliberaasset, casuque in unum è nostris Sacerdotem incidisset, repente eo viso, toto corpore commoueri cœpit, cuius subitæ perturbationis caussam cū Pater quæreret, ille rem totam aperit; criminaq. confessus à meditato scelere destitit. Alij duo, Sacerdotis eiusdem opera, à nefaria inimicis nocendi voluntate sunt auocati. Idem ægri cuiusdam confessionē excepit, qui cum annis septem eo sacramēto se abstinuissest, facta tunc magno cum dolore confessione, die in sequenti vita decessit. Excurritur quoque in vicina Oppida, quorum unum cum odijs, & inimicitijs ardet; uno de nostris auctore, atque agente pacatum est. idem mensium duorum spatio concionatus, tantos motus animis attulit, ut vix Sacerdotes nouem confessionibus audiendis sufficerent.

PRO-

PROVINCIA

ARAGONENSIS.



ONTINET Prouincia Aragonensis Collegia quinque, Valentiniū, Gaudiense, Cæsaraugustanum, Barcinonense, & Maioricense: Domus duas, unam Professam Valentinam, alteram Tarraconensem probationis. In ijs numerat de Societate ducentos decem, & septem. In Societate adsciti duodecim. Mortem unus oppetiit,

COLLEGIVM MAIORICENSE.

HAEC Prouincia fructus idem habuit fere quod ceteræ nihil præcipui, præterquam quod Palmæ, in qua verbe Collegium Maioricense situm est, cum ingens seditio inter duos optimates, Reginique Gubernatores commota esset, eam Nestri feliciter oppresserunt, priusquam ea, quæ tacitis odijs, & consilijs continebantur, foras erumperent. Cum virginis cuiusdam ex numero earum, quæ in eo Collegio sacramenta frequentant, pudicitia crebris nuncijs, donisque ab Equite primario vel per matrem tentaretur, ipsaque promissorū magnitudine victa iam iam inclinaretur, ab eo scelere confessarij oratione reuocata est. Ciuitas præterea Palmensis ad ædes quasdam coemendas auro dedit octingentos.

I COL.

COLLEGIVM BARCINONENSE.

IN Collegio Barcinonensi cum quidam spectris quibusdam sibi occursantibus dies, noctesque plurimum vexaretur, rem detulit ad Confessarium, is insit hominem octauo, summum decimo quinto quoque die ad sacramenta accedere: præterea quotiescumque visa illa obijcerentur, Crucis signo se ipsum expiare, et cubiculum aqua benedicta lustrare: fecit ille, quæ Pater iussit; neque amplius species illa oculis obuersata est. Maurus quidam cum in Africa nescio quod flagitium commisisset, inde metu supplicij Barcinonem fugit, atque ut baptizaretur postulauit: itaque ab uno de nostris lente institutus, probatusque tandem baptizatus est. paucis autem post Baptismum diebus in morbum incidit, procuratisque omnibus, quæ ad animi salutem pertinent, in Crucifixi complexu, Iesu nomen idenitidem pronuncians vitam sanctissime finiuit. Ex eodem Collegio euocatus est Pater quidam, ut feminæ partus difficultate periclitanti præsto esset: is audita mulieris confessione iussit Christi corpus adferri, quod mulier cum sumpsisset, fœtum illico in columem ædidiit, ut vix egrediendi locus sacerdotibus daretur; ipsaque periculo liberata est. Alio tempore cum ad ægrotum grauiissime laborantem idem sacerdos aceritus venisset, quæreretque nimis crimina expiasset; reperit hominem dimidiatā peccatorum confessionem fecisse, reliquam in diem insequentem distulisse: Cum autem Patri videretur vitam illi nullo modo ad illud tempus suppetituram, egit cum ægroto, ut institutam

con-

confessionem quam primum absolueret, opportune
sane, confessione enim facta, statim vox hominem,
sensusque reliquere: tamen nihilominus Pater man-
davit, ut Eucharistiae Sacramentum adferretur, ad-
stantes cohortatus, ut interim pro ægroto preces ad
Deum suppliciter funderent, mirum dictu, simul at-
que sacra Hostia domum illata est, illico vox ægroti,
sensusque restituti sunt; cumque summa cum pie-
tate communicasset, deficientibus iterum sensibus an-
te lucem exspirauit.

COLLEGIVM CÆSARAVGVSTA-
num.

IN Collegio Cæsaraugustano cum Pater qui-
dam conciones de peccati turpitudine, deque sup-
plicijs, quibus facinorosi apud inferos mactantur,
habuisset, sic homines perterrefecit, ut velut aliena
mente ad Confessionem discurrenter. itaque
innumerabiles non modo in nostro Templo, sed etiam
in alijs Confessionem generalem instituere, sic pror-
sus, ut ijs audiendis urbani sacerdotes non suffi-
cient; quod postea ipsi Parochi, aliquique religiosi viri
quasi gratulantes nobis testati sunt.

Ex missionibus, quæ in vicina loca factæ sunt, tum
in alijs oppidis, tum verò Manresæ fructus ingens
collectus est. in quo oppido is qui missus est Pater af-
firmavit, quoties in suggestum ascenderet, Pa-
tris Ignatij os (ibi enim ille, ut scitis, mirifica
abundauit cœlestium gaudiorum copia) sibi ante

I 2 oculos

oculos versari, seq. eius memoria diuino quodam ardore accendi, solitum quare mirabilia quædam efficit: ita mulii à grauissimis sceleribus abducti, multæ nefariæ pecuniæ pactiones rescissæ, inter multos valde restinctis odijs gratia composita: cum enim ciuitatem factionibus diuisam, inimicitij ardentem offendisset, omnes ad mutuam benevolentiam, & concordiam reconciliationem reduxit. Cum sacræ ædes, pleræque necessario instrumento carerent, dedit operam Pater, ut ad eas instruendas eleemosinæ cogerentur; atq. ob eam causam sodalitates omnes, quæ plurimæ sunt, habentque suum quæque facellum, canuenerunt, atq. in templorū ornamenta magnam pecuniæ summā contulere. Idem Pater Sodalitiū nominis Iesu instituit ea lege præter ceteras, ut singulis mensibus confessione, & communione sacrosancta operentur, quod vniuersi, & magno animo suscepérunt, & singulari pietate præstant: ei autem sodalitati ex Aduentus tempore quo primū instituta est ad Quadragesimam, mille circiter nomina dederunt. Quibus ex rebus eam ciuitatis gratiam collegit Pater, nihil ut ardentius expetant, quam ut ibi societatis Collegium extruatur; atq. ad eam rem omnia liberaliter deferunt.

SARDINIA.

Numerantur in Sardinia quattuor Collegijs tres, & octoginta de nostris, in Sassaritano triginta septem, in Calaritano octo, & viginti, in Busaquensi nouem, in Vallecclesiensi totidem. Mortem obiere tres.

tres. Par numerus in societatem receptus. In hanc Insulam hoc anno missus est visitator P. Fabius de Fabijs.

COLLEGIVM SASSARITANVM.

Incredibilis fuit is fructus, qui ex nostrorum concionibus in Collegio Sassaritano perceptus est; qui maior etiam multo fuisset, nisi morbus, qui concionatorem aliquot dies conciones intermittere coegit, rem disturbasset. Multi enim inimicitijs dissidentes pacati sunt, magna cum totius ciuitatis voluptate, & aedificatione. Vir quidam ecclesiasticus, magnæq. auctoritatis, audita concione, ad priuati Sacerdotis, cum quo inimicitias gerebat, pedes sese abiécit, veniam petens eorum, quæ iniuste in eum commisisset. Alio tempore dum populum Concionator ad concordiam, & iniuriarum obliuionem hortaretur, exsurgens quidam è turba, inter ipsam concionem alta voce professus est omnia se inimicis, Christi caufsa, condonare. Alius cum graue vulnus ab inimicis accepisset, eius animus totus in vltione erat; hic similiter concione ita permotus est, ut à templo domū confessim ad præcipuum inimicum pergeret, eumque amicissime complectereatur; atq. ut amicitiæ stabilitas confirmaretur magis, apud ipsum eo die pransus est. Multi nostris hortantibus vitam honestius instituerunt: in his vnus, qui ne cogereatur concubinā à se dimittere, septem ipsos annos Pænitentiæ sacramento caruerat: tandem nostris confessus, concubinam à se ejecit. Alia quædam mulier fa-

Et a nostris confessione, à vita meretricia, in qua ante
multos annos se se collocauerat, discessit. Quidam pec-
catum, quod per annos sexdecim nefarie suppressus,
salutari confessione expiavit. Sodalitas B. Virginis
pietate, & existimatione apud omnes augetur in dies:
in eam admissi hoc anno sunt viri aliquot præcipue
auctoritatis. Ex hoc Collegio missiones aliquot tum in
alia loca, tum in oppidū per celebre, nostraē societatis
cupidisimum facta sunt: in quo oppido cū Pater qui-
dam Quadragesimæ tempore versatus esset, fructus
maximos ex restitutionibus, confessionibus, pacifica-
tionibusq. reportauit. Præcipue vero in animis homi-
num noua pietatis reuerentia in eucharistiæ sacra-
mentum excitata est, usque eo, ut quid sacra Hostia ad
ægrotos circumferenda esset, viæ omnes pannis, cete-
raque ueste stragula sternerentur: tantaq. erat prose-
quentium multitudo, ut eorum frequentia solemnem
illam, quæ haberi quot annis solet, supplicationem re-
ferret. Id autem non mediocriter rem adiuuit, quod
Algarensis Episcopus Societatem maximis facit, eam
que in gratia, & existimatione apud populum ponit.
is enim iussit à suæ Diœcesis Sacerdotibus ea omnia
præstari, quæ nostri iussissent, vetuitque ne à certis
criminibus, nisi nostrorum permisso, absoluuerent,
atque vt ea quæ difficiliora incidenterent, cum nostris
conferrent. Eodem tempore aliis Sacerdos Gallu-
ram (regionis nomen id est) missus, totum eum tra-
ctum concionando, casus conscientiæ explicando,
confessionesque audiendo peragravit. Cum autem
certior factus esset in quodam loco summam rerum
spiri-

spiritualium necessitatem esse, propterea quod Parochus odio esset omnibus, multiq. eam ob caussam iampridem non confiterentur, eò se cum Parochis duobus contulit, omniumque confessiones audiuit; multosque induxit ex ijs, ut à concubinarum consuetudine discederent, vel legibus solui se curarent cum nuptias contraxissent cum ijs, quibuscum ius coniugij ipsis non esset. Patres illi duo qui ex Hispania expectabantur, quadragesima exeunte ad hoc Collegium peruenierunt, cum eos aduersa tempestas in Cataloniæ portu totam fere quadragesimam continuisset. Neque tamen eo tempore in proximis iuandis cessarunt: nam totum fere castrum confessione expiarunt, ac singulis quadragesimæ diebus suam quisque hebdomadam concionati sunt, in compitis etiam doctrinam christianam pueris tradiderunt. Die quodam Bacchanalium cum de more nostri in plateas exissent, comes sese ijs adiunxit D. Benedicti Abbas, cuius in ditione castrum est, vir multæ auctoritatis, concionatorque egregius, tintinnabulo pueros ad Christianam doctrinam audiendam conuocans: quam rem populus vniuersus plurimum probauit, atque suspexit.

COLLEGVM CALARITANVM.

Collegio Calaritano Domus Probationis adiuncta est, cuius Nouitij ad omne religiosi officij munus diligenter exercentur. reliqui vero non solum in Parochialibus templis, sed etiam in Sanctorum

Augustini, & Dominici monasterijs fratrū ipsorum
rogatu toto fere anno conciones habuere. Xenodochiū,
carcerque publicus solito diligentius ab iisdem fre-
quentatus, christiana doctrina in plateis explicata.
Excusum quoque est ad præcipuum quoddam huius
insulæ Oppidum, insigni cum rei christianæ adiumento:
tres enim qui suos inimicos interficere constituerant,
à concepto scelere deterriti, multifacinosi ad bonā
frugem reuocati, amicitiæ aliquot conglutinatæ; Con-
sultum etiam vni, cuius vita, & fama periclitabatur.
Ancilla quædā cum esset conuicta venenum Dominae
parasse, alium quendam eiusdem criminis falso insimu-
lauerat; quod diceret eo duce, & auctore id se aggres-
sam esse; quare egerunt nostri cum ancilla, ut illa om-
nia quæ falso alteri affinxerat, publici scribæ manu
reuocaret.

COLLEGIVM BVSAQVENSE.

BVsaq*u*i doctrina christiana insigni cum animi ar-
dore, & utilitate tradita est: ad cuius explica-
tionem non ipsi modo discipuli, ac pueri, sed magna
etiam populi multitudo, atque adeo ipsa Comitissa cū
reliqua familia conuenire solet, quæ quidem huic ope-
ri tam pio non interest solum, sed etiam quodammodo
præest, ceterisque suo exemplo prælucet. Itaque pue-
ri certatim in ediscenda doctrina laborant, deque ea
in templo disputationes habent. Ad hanc vero rem il-
lud momenti plurimum attulit, quod christianæ præ-
ceptiones patrijs versibus, numerisq. conscriptæ sunt,

vt ea

vt ea ratione, & facilius ediscantur a pueris, & retinentur diutius, neque profana, & lasciva cantica disserent: quare non solu Vrbs, sed etiam ipsi Pagi, viique puerorum christianam doctrinam cantit animum vocibus personant. Tres vita, moribusque perditissimis ad laudabiliorem viuendi consuetudinem tradueret. Deleta quoque peruersa illa consuetudo, qua dies festi saltationibus vulgo celebrabantur. Episcopo Albo rensi dioecesim lustranti, atque hanc Vrbem ineunti obuiam discipuli, ac pueri ramos præferentes, christianamque doctrinam cantantes processerunt: qua ex re, ille, tum etiam quod populum tanta pietate instructum offendisset, in credibilem cæpit animo voluptatem, quam etiam nobis multis, neque leuibus benevolentia, liberalitatisque signis declarauit. Ineunte quadragesima facta est missio in Oppidum insigne, in quo cum reliquo fructu tria sodalitia sunt instituta, quæ in cæpta vitæ ratione summa cum laude perseverant. Bussquo proxima Vrbs est, quæ magno concursu celebratur eorum, qui certis anni temporibus ad venerandam Crucifixi quādam imaginem (quæ summam religionem habet) ex tota insula confluere solent: eò de nostris aliquot etiam, sub dies festos missi sunt, qui confessiones innumerabiles audiere, concionesque in plateis habuere: quibus concionibus præter ceteros, qui à vitijs discesserunt, quidam cum magna in Urbe turbas, cum multorum cæde excitare constituisset, ab ea sententia deductus est. Alii duo in vicinum Oppidum peregrinorum frequentia similiter celebre profecti, ex confessionibus, concionibusque fructum

eundem

eundem retulere; sedato præsertim graui tumultu,
unde multorum neces timebantur.

COLLEGIVM VALLECCLESIENSE.

Socij Vallecclesiensis Collegij magna sunt apud omnes existimatione, suamque ciues in eos beneuolentiam magnis eleemosinis testantur, quibus eleemosinis templum cum sacrario absolutum est, preciosisque ornamentis instructum. Huic ciuium beneuolentiæ, ac liberalitati nostri quantum in ipsis fuit confessionibus, concionibusque, alijsque ex instituto muneribus gratiam retulerunt. Fratres duo, cum alter alteri necem machinaretur in gratiam inter se reduci sunt: alter etiam ex ijs ad frequentem Sacrementorum usum inductus. Cum Patri filius publicam contumeliam dixisset, iratus Pater filium in iudicium vocavit: cumq. turpisima actione inter se certarent, vnius de nostris interpositu omnia composita sunt: nam, & pater actione destitit, & filius singulas domos obiens, quæ in patrem contumeliose dixerat, omnia sua voce retractauit. Eiusdem etiam opera mulier honesta iuueni cuidam, à quo vulnus acceperat, omnem condonauit iniuriam.

PRO-

PROVINCIA
BOETICA.

IVIDITVR Boetica Provincia in domicilia vndecim, habetque de Societate trecentos octoginta quattuor, in Domo Professa Hispalensi sexaginta, in Collegio Hispalensi quattuor, & quadraginta, in Cordubensi octo, & sexaginta, in Granatensi tres, & quadraginta, in Nalacensi vnde uiginti, in Vaezano sex, et viginti, in Gaditano sexdecim, in Zereni quattuordecim, in Marcenensi quindecim, in Triguerosi decem, & octo, in Domo Probationis Montelana unus, & sexaginta. Supremū diem expleuerūt sex, quorum loco multiplici fænore Deus dedit octoginta. Hæc Provincia communi pestilentiae malo plurimum hoc anno vexata est; neque ciuitas fere fuit villa, in qua fædam stragem non ediderit: Eo tempore nostri tum Domi confessiones audiendo (que quidem innumerabiles fuisse, præsenti videlicet periculo omnes urgente) tum foris singulorum Domus obeundo, operam hominibus fructuose nauarunt: quo in officio Pater Scalantes è Collegio Cordubensi trium votorum professus, maxime necessario tempore, vitam pro suorum ciuium salute profudit. Neque tamen interea res litteraria iacuit: nam à discipulis Hispalensis, Gaditanis, Collegij actiones aliquot, & Dialogi dati sunt: Scholæ etiam ut in malis floruerunt: in Hispalensi enim

Gym-

Gymnasio discipuli numerati sunt ad octingentos, in
Cordubensi autem ad Nongentos; in Granatensi præ-
terea Collegio Philosophiae curriculum, Humanita-
tisq. Gymnasia tria instituta sunt: ad xij. Kal. Iun. in
Vaezano etiam de casibus conscientiæ scholæ duæ ha-
beri cæptæ. Ex ijs autē qui hoc anno sunt in societate
recepti, adolescentis vnius Hispanensis constata non-
nihil tentata est: mater enim criminata filiū à nostris
deceptū, edictū d consilio regio extorsit, filium conue-
niendi coram eiusq. animū exquirendi; itaq. eo edito
armata, cum Montelanum itinere Leucarū amplius
viginti venisset, filium coram Gubernatore varijs blā-
ditijs à proposito reuocare conata est: sed primo
congressū filij constantia, animiq. firmitate
deterrita, cum spe vincendi, sponte
etiam abiecit rem vltra am-
plius tentandi vō-
luntatem.



'PRO-

PROVINCIA MEXICANA.

MEXICANA Provincia Collegia quattuor habet, Residētias totidem; in quibus numerantur de societate centum triginta quattuor. In Collegio Mexicano septuaginta, in Angelopolitano quattuordecim, in Guaxacano vndeциm, totidem Mechoacano; in Residentia S. Crucis quattuor, in Pascuarensi quinque, in Texozotlana nouem, in ea, quæ hoc anno addita est, Philippinarum Residentia quattuor. in Societatem recepti tredecim. Vita deceſſere quinque.

Noſtrorum in hac prouincia labor in Indorum conuerſionem maxime impenditur, quæ vt felicius procederet, noſtri in ea primum re operam maxime dede- runt, vt Indorum benevolentiam colligeret, omnemq. à ſe auaritiæ ſuſpicionem amouerent; vt intelligerent Indi non ſua, ſed animorum ſuorum ſalutem ab iſis adamari; quin potius, cum ex ijs aliquem inopia labo- rare vehementius noſtri cognouerint, de ſuo liberali- ter ſubueniunt, aut ad eorum miseriā ſubleuandam ſtipem à populo corrogant; ſympathiam quidem cer- te in omni eorum dolore maximam oſtendunt; Pater enim quidam è Collegio Mexicano, cum in carcere pu- blica multos ære alieno oppreſſos detineri cognouifſet, qui tamen ob paupertatem ſoluendo non eſſent; cor- rogatis eleemosiniſis omnes liberauit. Ne autem lin-

guæ

gue ignorantie fructus impediretur. Texozotlæ (in qua urbe Archiepiscopi auctoritate Residentia constituta est) de nostris nouem in Mexicana, Othmitica que lingua addiscenda defudant, & Dominicis festisq. diebus conciones eorum lingua, & in compitis catechismi explicationes habent. His igitur, aliisque rebus agrestes Indorum animi paullatim mansuefunt, tractarique se sinunt, ac melius de christiana religione sentire incipiunt. Institutum quoque est Texozotlæ Indorum adolescentium Seminarium, qui ab ipsis metis Indis publice aluntur. Hi, propterea quod à nostris ad virtutem, scientiasque informantur, magna spes est fore, ut nostra consuetudine, disciplina que exculti, suos quisque populares ad christianam pietatem, & elegantiam traducant. Et sane in huiusmodi iuuentute tanquam in sementi reliqua messis omnis posita videtur: quare præcipua cura, & diligenzia coluntur à nostris: nec frustra. Mexici enim (quod Gymnasiū numerat sex classibus auditores trecentos) ea discipulorum virtus est, id studium pietatis, tertit in singulis Quadragesimæ hebdomadis nostro in tēplo se diuerberarint: quod à teneris adolescentibus tanta cum animi alacritate præstari, quemadmodum in ijs locis nouum est, ita insigni omnium approbatione, & admiratione excipitur. Huius tam præclari muneris, & exempli dux, auctorque est vir quidam primarius, qui ab eo tempore, quo Societas eam in urbem venit, id in se recepit, præstititque egregie. Habent etiā ipsi scholastici inter se B. Virginis nomine sodalitum institutum, Virginisque ipsius festos dies maxima cum animi

animi pietate, apparatuque celebrant: aliqui etiam ex ijs spiritualia exercitia peregere, aut ad religionem se contulere. In Residētia Texozotlana christianæ doctrinæ schola certas in classes distributa est; atq. vt quisque ea, quæ in inferiore classe traduntur, didicerit, ita deinceps ad superiorem gradum facit; qua in re multorum incredibile studiū, & industria spectata est; qui in singula verba singulos calculos seponebat, cumq. omnia recitassent ducta verborū, calculorumq. summa, vtrū ea inter se conueniret nec ne, diligenter exquirebat; eq. labore senes ætate iam exacta catechismum totum deuorarunt. Neque solum pueri, sed grādes etiam natu tum Indi, tum Hispani nostrā operam sunt experti; multæ enim inter ipsos pacificatōnes factæ, peccandiq. occasiones sublatæ. Indi autem christiani tantos in pietate habent progressus, vt non Ethnicis modo, sed plane Hispanis ipsis exemplo, & admirationi sint: multiq. inter eos reperiuntur, qui diuina gratia ab omni se grauioris sceleris macula pueros, integrosq. conseruant. Cum enim ij pauperes fere sint, sic fit, vt cū christianam veritatē arripuerint, insignes breui in omni virtutū genere progressus faciant: propterea quod minus multa habent, quæ se inter ipsos, ac Deum interponant, aut eos à Dei memoria reflectant. Mulier quædam confessario dixit, se singulis diebus vniuersos Christi domini cruciatus, maximis cum lacrimis commemorare solitam; atque in ea cogitatione sæpe pernoctare, vt somnum non videat. Texozotlæ autem singulis diebus sub vesperam. Indi congregantur in templo, genibusque flexis B. Virginis

ginis rosarium recitant, patre interea uno de nostris
misteria singula illis in memoriam reuocante, oppor-
tunaque precatione ad pietatem animos inflammante.
In Collegio Angelopolitano dum concio de Pænitentia
Sacramento haberetur, ita sunt commoti nonnulli,
vt constituerent non ante pedem templo efferre, quā
Superioris vitæ peccata essent confessi, ex quo nume-
ro fuit quidam, qui annis triginta nunquam crimi-
na expiaverat. Mulier quadam venefica, multisque
flagitijs cooperia, cum ab uno de nostris accusaretur,
quod tot sceleribus Deum offendere, ita in suorum pec-
catorum odium exarsit, propterea quod ea Deo esse
odiosa cognouisset, vt vel à suis prouocata nunquam
ad eadem reduci poterit. Alia mulier vitæ flagitiosissi-
mæ, cum nostro Sacerdoti crimina esset confessa, ita
domum confirmata reuertit, vt postea ad veterem con-
suetudinem à quodam solicitata, ipsum ab ea mente
omni ratione abducere conaretur, suaderetque, vt sa-
lutare Iesu Mariæ nomen pronunciaret. mirū dictu-
simul atque is sacra illa nomina protulit, omnis illico
ardor libidinis restinctus est. Alia similiter femina,
cum muneribus ad nescio quod flagitium sollicitare-
tur à quodam, præcise negavit, se tale vñquam faci-
nus commissuram: cum autem furens ille mortem ni-
sibi morem gereret, minaretur, mulier in genua pro-
cumbens, vitam, inquit, hanc auferre quidem poteris,
vt autem tali me scelere obstringam, à me nunquam
impetrabis; quo ille responso plurimum obstupesfactus
discessit. Quidam sic amore pellicis deperibat, nullis
vt neque precibus, neque minis ab eius consuetudine
retrahbi

retrahi posset; cum autem aliquando concionem in templo nostro vna vterque audiret, ita repente commotis sunt, vt statim Patrem conuenirent, criminaque confiterentur. Cum grauis quædam controversia inter viros religiosos orta esset, Prorex euocato Patre Rectore, eius rei compositionem, confirmationemque omnem Societati commisit; quod id proprium ipsius munus esse diceret: Deique beneficio, summa hominum voluntate, omnia composita sunt. Archiepiscopus Mexicanus vir humanitate, prudenter singulare singulari, vt melius munus tueretur suum, ad singularem iuris cognitionem qua excellit, Philosophiæ, ac Theologiæ scientiam adiungere constituit; itaque homo id auctoritatis, & ætatis, tantisque occupationibus distentus, magistro vsus uno de nostris Philosophiæ curriculum confecit: atque doctissimis quibusque uiris euocatis, instituit domi suæ de eadem disputationes, in quibus ita se gescit, vt omnium vinceret cogitationes. Eodem ille nunc ardore animi Theologiam addiscit, eiusque rei causa duo quotidie de nostris ad eum ventitant. Pater Generalis ad maiorem Collegio existimationem conciliandam, eum, qui in Collegio Mexicano Theologiam docet, Magistrum creari cum iussisset, quæsierunt de more nostri ab Academia publica, gratuito ne id præstare vellet: & quamvis multi liberaliter sumptus omnes ad eam rem certatim deferrent, id tamen non fuit necesse; omnibus enim sententijs sic approbatus est, vt in ea re beneficium ipsi singulare accipere viderentur.

K tur.

QAT

tur. quare Pater summa celebritate, ac pōpa Doctor
factus est, in id maxime Archiepiscopo
incumbente, vt omnia magnifico
apparatu fierent, gratu-
que in suum ipse
magistrum
videre-
tur.



PRO-

P R O V I N C I A
F R A N C I A E.

NUME RANTVR in Franciæ Prouincia Socii ducenti, & octo, in loca septem distributi, in Domo Professa Parisiensi viginti; in Collegio Parisiensi sexaginta sex, in Collegio Mussipontano quadraginta septem; in Virdunensi duo, & quadraginta, in Niuernensi quindecim, in Bituricensi, propterea quod vrbis illa pestilentia est vexata, septem fuere, in Augensi eadem ob caussam quattuor. In Sociatem admissi sunt tres, & triginta. Vita non uem decezzere.

DOMVS, ET COLLEGIVM

Parisense.

Parisius ad Catholicam religionem tredecim rediere; ex eo numero fuit quidam genere natus illustri, qui cum Gebennam studiorum caussa profisceretur, a piratis captus, spoliatusque admirabili Dei prouidentia, in Catholicorum venit potestatem, atque ad Ecclesiam aggregatus est; cui reconciliatus item est alter familia nobilissime Princeps eius nimirum, que prima in Scotiæ regnū hæresim importauit. Multi alij nobiles viri, in his Marchio etiam Catholicæ doctrinæ præceptionibus sunt instituti. Catholici, duo, cum propter scelera, que commiserant, salutē despe-

R 2 rassent,

rassent; ad confessionem, & veniae spem excitati. Qui-
dam ex familia non ignobili cum mente prope aliena-
tus videretur, magno suorum gaudio, sanitati restitu-
tus. Consultum quoque cuidam, qui visis quibusdam
agitatus, mortem sibi consciscere constituerat. Mulier
quædam pietati valde dedita, cum in morbum incidis-
set, passa sibi est persuaderi a propinquis, ut tantisper
pietatis exercitationes intermitteret; atq. illico mor-
bus, qui leuis initio fuerat, ingrauescere cœpit: quare
statim sua illa studia repetere animo proposuit, eoque
liquore, qui è S. Andreæ mēbris manat, inucta, paulo
post cōualuit. Confessiones generales auditæ ducē-
tæ, et viginti. Societatis nostræ meditationibus quinq.
& sexaginta se exercuerunt; ex his animum ad So-
cietatem viginti adiecerunt: quattuor ad alias religio-
sorum familias transferunt. Scholæ auditorum nume-
ro, nobilitateq. maxime celebrantur: atque omnes fe-
re, qui in celeberrima illa orbis terrarum Academia,
aut magistri Thelogiæ creantur, aut in alijs Collegijs
Philosophiam docent, ex nostris scholis exierunt.
Rex Christianissimus Caroli noni fratris filium egre-
gia puerum indeole, inter conuictores versantem semel
inuisit; atque ipse met scholasticos inter se commisit,
magnaq. animi cum voluptate omnia ad finem usque
spectauit. Cum vero sub finem scholarum pueri omnes
positis genibus B. Virginem rite salutarent; Rex ad
nostros conuersus, quæ Deo, inquit, gloria sit, schola-
stici vestri hæretici non erunt. Idē aureos mille dedit,
quibus proxima Collegio domus emeretur. Eius mater
Regina Domui Professæ aræ dedit ornatū, aureorum

du-

ducentorum precio. Cardinalis Guisius, eiusque ma-
ter in templi peripetasmata aureos contulit centum.
Ex Collegio Parisiensi Petrus Monerius obiit, egre-
giæ virtutis adolescens. Is cum morti proximus ad-
stanti confessario infestâ sibi esse Dæmonis præsentia
dixisset; iussus ab eo est querere de ipso dæmone, num-
quid contra se haberet: ac paullo post sereno vultu
ad confessariū conuersus, nihil habet, inquit, cumq. om-
nes ad veras, solidasq. virtutes cohortatus esset, vita
migravit: singularis plane innocentiae exemplū, cui ni-
bil supremo vitæ tempore diligens, atque criminosus
accusator obijcere potuerit.

COLLEGIVM VIRDVNENSE,
& Bituricense.

Collegium Virdunense Domum Probationis ad-
iunctam habet; cuius Nouitij ad omnem officij
religiosi partem diligenter exercentur: non nullorum
etiam in vocatione constantia varie tentata est. Ado-
lescens patre natus catholico ille quidem, sed catholi-
ce parum institutus, cum quendam, qui Parisius vene-
rat, honorifice de Societate nostra loquentem audis-
set; litteris ad Collegij Rectorē datis petiit, vt in eam
admitteretur, id parentes odorati ad eum de proposi-
to deducendum omnibus rationibus aggrediuntur; pe-
cuniam, ceterasq. illecebras, & opportunitates ultro
ad omnem luxum subministrant: ac tādem inducūt, vt
hæreticā virginē sibi despondeat. Interea dum nuptia-
rum dies venit, adolescens Parisios, domestici negotij
causa, proficiscitur; ibi demū veteris propositi recor-

K 3 da-

datur: conuentoq. Rectore, omnibus precibus inslitit, vt in societatem reciperetur. Itaq. cum temporis aliquantū in exercitijs spiritualibus posuisset, ad Novitiatum missus est: patriq. postea ipsum ad nuptiarū fidem exsoluendam reuocanti respondit, sibi certū esse viuere cum mendicis potius, quam matrimonium contrahere cum heretica. Alium in societatem iam receptum eius condiscipulus viri potentis filius omni conatu secum Parisios reducere adortus est. Is cum magna nobilium virorum corona septus in Collegium venisset, maria, & montes, vt aiunt, adolescenti polliceri cœpit. Abbas quoq. qui in eius erat comitatu, adolescentē hortatus est, vt optimis amici consilijs pareret; quandoquidē ipse votis non esset obstrictus, et explicata ad summos honores consequendos viam haberet: neque expectaret, dum postea (id quod alijs quotidie vsu cerneret euenire) cum ignominia, ac dedecore ab societate repelleretur. Ad hæc adolescens modeste respondit, fieri quidem posse, si sua se indignum præbeat vocatione, vt ab societate ejiciatur; confidere tamen eum qui velle dedisset, etiam perficere daturū: ceterū id se nunquam à viro religioso expectaturum fuisse, vt quempia à religione deterreret; illamq. nouam, & insolitam liberalitatem merito sibi suspectā esse: quo responsō Abbas pallore perfusus obmutuit. Vbi primus hic impetus parum prospere successit, vim parant: & condiscipulus manu adolescentē apprehendens ad alteram Collegij ianuam, ad quā præsto erant equi instruti, sensim progreditur; quam forte clausam cū offendisset, frendens dentibus, irrito conatu discessit. Alius adolescentis Lugduni loco nobili natus, cū ab ipso pro-

ba-

bationis Domo in patriā, Regis auctoritate pertractus
à fratre esset; D.Thomae Aquinatis exemplum, cum
simili temptationis genere eius pudicitia, constantiaque
oppugnata esset, singulari animi fortitudine reddidit:
quare cum ab eo sui nihil impetrare potuissent, tādem
ad nos remiserunt. Exercitia spiritualia plurimis tra-
dita sunt; conuictoresq. fere omnes, vt in ijs se exerce-
rēt, summis precibus contēderunt: quindecim dūtaxat
ad ea sunt admissi; ex ijs quattuor mētē ingrediēdi so-
cietatem suscepérunt. Iisdem exercitijs monasterij cu-
iusdam pāne collapsa disciplina restituta est.

Biturigibus fœda incidit hoc anno pestilentia; quo
tempore omnibus, qui confessionis, communionisue gra-
tia accedebant, semper aditus in nostrum Collegium pa-
tuit. Missus præterea est P.Franciscus Folinæns cum
fratre quodā, qui ciuium affectionum animis, corpori-
busq. quantum in ipsis esset, succurrerent. quo in offi-
cio dum singulari caritate, animiq. voluptate versan-
tur, communi morbo oppressi vitam naturæ debitam
pro ciuiū salute profuderūt. E Collegio autem quinq.
desiderati sunt. Horum morte commoti vrbis Præfe-
cti, negarunt se amplius opera nostroruſuros; quip-
pe quā ad maiora tēpora reseruarent. Quā eamde ca-
ritatē nostri cū in religiosoruſ domū exhibuissent; indu-
ctus est vnus ex ijs Sacerdos, vt suā etiā ipse operam,
nostro exemplo, affectis iuuandis consecraret.

COLLEGIVM MUSSIPONTANVM, & Augense.

MUSSIPONI magna hoc anno est comprehēsa mul-
titudo veneficorū, quos nostri capitis, damnatos
ad supplicium vsq. prosecuti sunt, magno vtiq. eorum

R 4 bono

bono; omnes enim fere vitam quam scelestissimam ege-
 rānt, morte sanctissima concluserunt. Sane hoc vene-
 fiorum genus hominibus, ciuitatibusque perniciossissi-
 mum est, omnesque fœdus cum Dæmone percusserunt:
 quo auctore, & adiutore maleficia innumerabilia com-
 mittunt. Tantam vero apud eos potestatem, & aucto-
 ritatē hīc ferme artibus Dæmon sibi comparat. Vbi
 quem ille animo maxime perturbato viderit, statim
 p̄æsto est honesto cultu, opem, diuitias, aliaque om-
 nia, si modo sibi mos geratur, prolixe pollicetur: Chri-
 stum Dominum, ac B. Virginem abiurare iubet. Ut au-
 tem sui deditij aliqua à ceteris nota distinguantur,
 fronti dentem imprimit, aut capillos aliquot euellit: tū
 pulueres quosdam dat, quibus quoscunque voluerint
 necare possint. quamquam s̄epe minis, ac verberibus
 eos interficere cogit, quos ipsi minime vellent. mulier
 quidem certe cum viri nobilissimi de Societate, atque
 adeo de ipsa optime meriti filiam necasset; affirmauit
 vi Dæmonis se ad id compulsam: quin dixisse Dæmo-
 nem, parenti quoque puellæ eadem opera moriendum
 fuisse; ni pro eo domi quidam Deum orasset: eo au-
 tē tēpore quo vñus de nostris Sacerdos rem diuinā in
 ipsius viri castro fecerat. Vnum ex his beneficis, dum
 in carcere custodiebatur, Dæmon ex feneſtra monere
 cœpit, ne quid confiteretur. qui cum id se facturum
 præcise negaret, omnemque Societatem Dæmoni re-
 nunciaret; sensit compedes, quibus constringebatur, in-
 genti cum dolore concuti: mox eidem apparuit mulier
 candido vestitu; facie venerabili; quæ illum, ut animi
 saluti prospiceret, cohortata confessim abscessit.

In

In Collegio Augensi magna vis confitentium fuit; adeo ut ad alteram horam post mediam noctem ijs nostri aures dare cogeretur. Eius vero concursus maximam caussam dedit puella quædam energumena, quæ peccata ceteroquin occultißima (quæ quidem confessione deleta non essent) diuulgabat. Et quidem hoc anno plurimi extra consuetudinem in ijs regionibus energumeni repente visi sunt, quorum quinq. ab Episcopo Sueßionensi tum sanctissima Eucharistia, tum Sanctorum reliquijs liberati sunt. Ex his Dæmon unus cum exorcismis vrgerebat; dixit, Dæmonum ingentem multitudinem ex Indijs eiectam in eas partes diuino imperio venisse, ut hæreticos, qui sunt in ijs, impietatis redarguerent, atque conuincerent.



PRO.

PROVINCIA
AQVITANIAE.



X illa partitione Prouinciarum Gallicanarum, quæ hoc anno facta est, Prouincie Aquitaniae quattuor Collegia obtigerunt, in quibus de Societate sunt ad numerū nonaginta triū, in Collegio Tolosano triginta septē, in Burdegalensi viginti sex, in Rhutenensi viginti, in Mauriacensi decem. Vita migrarunt duo; Societati adnumerati septem.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

Tolosæ conciones tribus in tēplis, insigni frequētia, & fructu habitæ sunt; Confitentium tanta multitudo est celebrioribus præcipue festis; vt confessarij decem audiēdis omnibus satis non sint: ex ijs generali confessionem fecere triginta. Communica- runt autem numero ad nouem millia trecentos sexaginta. Hæretici sex, cum ad supplicium ducerentur, ad catholicam fidem sunt conuersi: totidem qui grauiissimas inimicitias gerebant, pacificati inter se. Mu- lier una à vita, institutoque meriticio abducta Conuersarum, ut vocant, monasterio se sacrauit; Ad salu- tarem frequentis confessionis, & communionis usum inducti per multi. In custodias publicas bis in singulis mensibus itum est, vinctorumque animis, corporibusq.

III

consul-

consultum. Eorum unus cum desperatione quadam morte sibi consciscere vellet, ad animi aequitatē reuocatus: alius cum ob æs alienū in carcere detineretur, nostrorū opera liberatus. In varijs Xenodochijs christiana doctrina tradita; Ciues nostri amantissimi, & studiosissimi sunt, quam benevolentiam eleemosinis declarant: nam præter magnum numerum vini, ac frumenti, in templi ornamenta libras (monet.e genus id est, aureique nummi tertia partem continet) hoc anno dederunt, centum, & sexaginta.

COLLEGIVM RHUTENENSE.

Tolosatibus benevolentia, & liberalitate in nostros nihilo sunt Rhuthenenses inferiores; idque ostenderunt tum saepe, tum proximis comitijs, quo tempore ad nostram inopiam subleuandam aureos donarunt centum, & quinquaginta. Maxime tamen Episcopi, qui nuper in demortui locū suffectus est, amor, & benignitas enitet, apud quem tanta est de Societate existimatio, nulla ut grauior incidat cura, quam non vel nostris committat, vel certe communicet. quare, & confessario de nostris, & concionatoribus vtitur, nullumque ad sacros ordines admitit, cuius ante doctrinā nostri non probauerint: quod munus propterea quod odiosius videbatur, cum saepe nostri essent deprecati, recusare tamen non potuerunt. Idem mandauit, ut ex nostris aliquot cum magistratu, & consulibus bibliopolarum officinas inspiciant, & quidquid here-

hæretorum, aut obscenorū libroru inuenerint, comburant. Ipsos etiam Collegij reditus amplificare cogitat: quod si facultas daretur, negotium iam pridem confecisset: quod autem in ipso est, offert se sua pecunia concionatorum numerum aliquem sustentaturum, qui in proxima vrbis loca excurrant. Nostris concionibus tres mulieres catholicam fidem professæ sunt: quidam à fœneratitio contractu seipsum collegit: alij fraudata restituerunt: nonnulli qui ecclesiastica beneficia habebant, preces horarias recitare cœperūt: alia que multa è re diuina gesta.

COLLEGIVM BVRDEGALENSE.

SCholæ Burdegalenses auditoribus mille ducentis frequentantur: qui numerus longe maior esset, si (quod hæretici sèpissime à nostris contenderunt) lex de audienda re diuina discipulis remitteretur. Sed nimurum nostri malunt de numero discipuloru aliquid quam de religione minui. Ceterum nostrorum discipulorum spectata pietas est, & in religione constanza, multiq. eorum hæreticis orti parentibus cum nostras scholas frequentare cœpissent, ad ecclesiam catholicam sunt adiuncti: unus etiam æquo animo passus est, se ob eam caussam à parentibus exheredari. alius cum auctoritate parentum hæretorum bienniū se ab vnu sacramētorum abstinuisse, tandem seipsum colligens domo paterna cessit, id cum animo statum, ac deliberatum habens, ut quamvis fortunarum, atq. adeo vitæ iacturam subire potius, quam illis deinceps in re-

in re tam nefaria morem gereret. Acta est hoc anno
à nostris auditoribus Samariæ obsidio, eo populi con-
cursu, ut ad duodecim millia hominum spectasse di-
cantur; data quoque Egloga quædā est in Archiepi-
scopi palatio, qua nostri discipuli Episcopos, ceterosq.
Patres, qui ad prouinciale concilium agendum, in ea
vrbe conuenerant, exceperunt: ea tum argumenti al-
legoria, tū ipsius actionis venustate summopere pro-
bata est. Confessionum inusitata quædam fuit hoc an-
no multitudo, etiam generalium, triginta, quadragin-
ta, & quinquaginta annorum: aliquot etiam hæretico-
rum, quos duobus mensibus duodecim numerauimus;
nam ceterorū reliquo anni tempore ratio habita non
est. Vir quidam doctus confessionis gratia à millibus
passuum quadraginta ad nos contendit. Alius simi-
liter vir doctus, neque leuis auctoritatis, cum bona
ecclesiastica multa iniuste possideret, hortante con-
fessario pollicitus est, omnia se restituturum. Sed cum
postea eius rei obliuio obrepisset, in certum vitæ di-
scrimen incidit; quo diuinitus liberatus, cum in pro-
missi neglecti recordationem venisset, confessarium
adiit, omniaque se quæ promisisset, præstitum con-
firmavit. Mulier nobilis cum à marito, qui ad bellum
proficiscebatur, in remota regione esset relicta, in con-
suetudinem viri cuiusdam nobilis ita se dederat, ut ab
omnibus eius vxor haberetur: hæc de consilio cuius-
dam è nostris flagitiosam illam consuetudinem reli-
quit, & in patriam reuertit. Neque vero carcer no-
stram operam desiderauit; in quo vñus Sacerdos con-
ciones habuit, atque tum aliij plurimum adiuti, tum
hære.

hereticus quidam; qui cum Patri semper oblitisset, damnatus tandem capitis ad sanitatem reuertit, criminaque confessus, heresim de superiore supplicij loco palam abjuravit.

Ex hoc collegio missiones multe insignes, & frugiferæ factæ sunt. Unus enim toto aduentus, & quadragesimæ tempore, Petrocorijs concionatus, multa praecestita rescidit, atque mutauit in melius: cum enim in ea urbe mos esset, ut Bacchanalibus Fabulæ obscenissimæ agerentur, atque in compitis multa festenninum in morem decantarentur, perpetua illius moris reprehensione effecit, ut earum obscenitatum artifices conturbati, in vulgus eo anno prodire non auderent, non parua suarum rerum iactura, cum ea quæ ad huiusmodi ludos pertinebant, magnis sumptibus comparassent. Idem cum aliquoties in nefariam illam temere iurandi consuetudinem esset inuestitus, senatum induxit, ut certos homines poneret, qui nomina deferrent eorum, qui sine causa iuriandum usurpassent. Hæretici multi ad eius conciones audiendas conuenere, cumque se vicos faterentur, tamen humanis quibusdam rationibus adducti veritatem aperte profiteri erubescabant: unus tamen vivit animum, desertaque heresi catholicam religionem suscepit.

Idem fructus constituit in alio oppido, quod hereticis vndiq. cingitur: in eo conciones quadragesima exerceunte, tanto catholicorum concursu habitæ sunt, ut cū templum capere vniuersos non posset, eas in forum transferre necesse fuerit. Sublata ibi est pestifera quedam

dam consuetudo, cui nisi mature fuisset occursum, longius progressura videbatur: pleriq. enim nulla propria, ac vera singulorum peccatorum confessione vtebantur, sed generali tantum quadam criminum enumeratione contenti, vniuerse confitebantur: itaque triceni, & quadriceni simul, aut etiam plures huimodi confessione expiati ad sacram synaxim admittebantur. Hæc igitur consuetudo sublata est cum ea, qua Sacerdotes post communionem super ablutione consecrationis verba gallice enunciabant. Præterea idem concionator septuaginta circiter, qui vel nūquam, vel iam pridem non confitebantur, criminibus absoluit. In docendo autem catechismo, pueris ita libentibus est usus, ut ipsi parentes filiorum alacritatem, discendiq. cupiditatem admirarentur; à quibus etiam sæpe accusabantur; quod accubituri crucis signo cibos non expiarent. Alius Sacerdos Episcopi Basatensis rogatu Castageloum Regis Nauarræ oppidum profectus, à Regina Regis Gallorum sorore singulari humanitate exceptus est. Rex quoque ipse multa neque leuia dedit in eum animi benevoli signa, longumque cum eo sermonem habuit de Societatis instituto, eique potestatem fecit, sua oppida libere adiundi, & in illis concionandi. Patris concionibus canonici adducti Breuiarium Romanum receperunt, aliaque multa, que ad cultum diuinum pertinent emendata: catholicis additi animi, vt hæreticis resisterent; eoque magis, quod eorum minister magnæ inter suos auctoritatis, & nominis nunquam in Patris conspectum venire ausus est.

In

In alio item Regis Nauarræ oppido, cui Tartasso nomen est, alias sacerdos conciones habuit, & quoniam illud oppidum hæreticorum refertissimum est, multa Patri ab ijs quotidie vitæ pericula imminebant. Templo enim in quo concionabatur parietem cum hæreticorum arce communem habet, templique tectum hæretici nudarant, ut concionantem obseruare possent. Feria autē sexta hebdomadæ sanctæ, cū Pater maxime concionaretur, ecce ab arce duo tormeta increpue runt, quod suspicatus populus signum futuræ cædis esse, tumultuari cœpit, atque aliis alio fuga dilabiliægreque Pater sua oratione, & exemplo nonnullos retinuit.

Talamonijs, quod Sanctonū maritimum oppidum est, aliquot menses unus similiter de nostris versatus est. Magna cernitur in ijs locis ab sacerdotibus rerum diuinorum solitudo; propterea quod ij non sine periculo inter hæreticos versari se posse putant, quo fit, ut cū ad eos nostri proficiuntur, summa omnium ordinum gratulatione excipientur: accedit etiam quibusdam in locis, ut cum nostros ad se venturos cognouissent, totos ipsos dies in muris excubarent, ut nostros venientes prospicerent, vrbique appropinquantibus tota se se ciuitas ohuiam effunderet. Atque hanc amoris significationem in nostros non solum catholici, sed plane ipsi etiam hæretici præbent, ut qui suos filios ad eos mittant, ut catholicæ doctrinæ præceptis instituantur: non nulli ex ijs ad Ecclesiam rediere: Confessiones auditæ circiter mille. Sacramenta vicinis pagis administrata: aliaque multa è re catholica constituta. Cum mulieris cuius-

cuiusdam hæreticæ filia morbo periculoſo laboraret,
a catholicis mulieribus in Ecclesiam ad Patrem dedu-
cta est, ut super ea S. Ioannis Euangelium recitaretur.
Fecit Pater quod petebant, atque puella sanitatem il-
lico recuperauit. Idem Pater instituit ut singulis die-
bus B. V. Mariæ completorium recitetur; die-
bus vero Dominicis, & festis, etiam Ma-
tutinum eiusdem, & Vesperæ: ut
quoniam plerumque ijs die-
bus Sacerdotum inopia
Missa carent, ea
ſaltem ra-
tione
pietatis calorem conseruent.



L PRO.

MAIMATIV OA
PROVIN C I A
LVGDVNENSIS.

PROVIN C I A Lugdunensis hoc primum anno instituta est; ea continet Societatis Collegia sex, Socios ceterum quinquaginta sex. In Collegio Lugdunensi unus sunt, & viginti, in Collegio Turnonensi quadraginta, in Auenionensi duo & triginta, in Billoniensi viginti quinque. In Camberia censi tredecim. In Diuionensi quindecim. Ad Societatem applicarunt se decem, obiit unus.

COLLEGIV M LVGDVNENSE.

Ciuitas Lugdunensis anno superiore valde vexata pestilentia est; neque morbus remisit prius, quam ciuitas votum B. Mariæ Lauretanæ publice fecerit: cuius damnatae voti unus e nostris misit, qui illud dissolueret. Paullo post iterum exorta pestis, ut multo lentius quam ante, ita nostris molestius, in ipsis Collegiis foribus saeure coepit: quare & scholas nostri claudere, & ad alia Collegia tantisper migrare non nulli coacti sunt. qui autem in urbe constiterunt, ij affectis iuuandis suam operam omnem dedicarunt: cum que omnium necessitatibus expositi essent, eos tamen praecipuo Dei beneficio morbus nunquam attigit. Virgo quædam cum dæmonis decepta præstigijs, inedia se se intemperantius affligeret; simul etiam ne per furorem grauius in se ipsam saeuret, custodiretur; unus de nostris opera ad sanitatem reuocata, Deo sese conse-

LO 99

cōfacerāuit. Alia virgo, cū ipsam pater, cui erat vñica, in matrimoniu dare vellet, confessariū ē nostris adiūt; dixitque iam pridem apud se statuisse virginalem vitam traducere, tunc autem à parente ad nuptias compelli: proinde ab eo se petere; vt patrem ab ea sententia deducat. Confessarius rem suscepit, ac cum puerilē patre collocutus, paucis hominem induxit, vt filiæ morem gereret. illa autem voti compos effēcta, ad religionem statim se contulit. Hæretici aliquot ad fidem reueterunt, quorum vñus cum annos quinquaginta in hæresi vixisset, vxoris impulsu generali facta confessione, cum Ecclesia reconciliatus est. Congregatio B. Virginis floret in dies magis; eiusque sodales cum in alijs recte factis, tum in ægris, vincīisque iuuandis maxime sese exercent: ex ijs vñus pestilentiae tempore in quoddam oppidum profectus, cœpit, Vicarij permisu, christianam doctrinam explicare eo fructu, vt cum paucissimi antea sacramenta frequentarent, iam plerique anni festis celebrioribus ad Sacram Christi corporis mensam vltro accedant.

COLLEGIVM TVRNONENSE.

TVronensis Collegi res non pauco incremen-
to hoc anno sunt auctæ: ad duos enim Phi-
losophiæ magistros tertius Dominæ Turnoniæ libe-
ralitate accessit: qua re plurimum, & ornamentii,
& utilitatis ei Collegio est additum. Nouæ scho-
liæ accessione, tota gymnasiī ædificatio laxata est,

L 2 loco

loco attributo, qui Collegio continens cum esset, multum ad nostras cogitationes facere videbatur. Mathematica etiam florere maxime cœperunt; quam ad rem momenti plurimum attulit D. Turnonius, Comesque Rossilionæus, qui cum doceri se eas priuatim ab uno de nostris petijisset; suo ceteros exemplo ad idem studium mirifice inflamauit. Habet Collegium illud liberam magistros creandi potestatem; verum hactenus propter perpetuos bellorum tumultus quasi inclusam, & reconditam, hoc autem anno ea vti cogitant; quam rem ad maximam hominum utilitatem, Societasque existimationem cessuram speramus. Discipuli plus milie numerantur egregiæ indolis. Ex his unus, cum nostræ Societatis esse vellet, diu à P. Provinciali reieclus est, qui eum se parente inuitò recepturum negabat; cum enim admodum esset adolescens, patriq. unicus, verebatur, ne à patre nostris, quibus propter Collegij Prioratum vicinus est, aliqua molestia exhiberetur; is tamen noctes, diesq. apud parentē instando, non modo ab eo consensum, sed vestes etiam, ac viaticū extorsit. Alter iam in Societatem receptus, pari constantia matris, militisque ipsum à proposito deducere conantium repulit insidiosas preces.

COLLEGIVM DIVIONENSE.

NEq. minor accessione ad Collegij Divionēse facta est, in quo similiter Philosophiæ curriculū institutū est, numerusq. discipulorū duplicatus, octingenti enim sunt præclaro omnes ingenio, atque cum natura,

tum

rum inductione animi ad omne virtutis genus propensi. Philosophiae Scholæ Præsidum, Senatorum, Patronorum, aliorumque nobilium hominum frequentia celebrantur, quæ celebritas eadem cernitur in ijs actionibus, quas Humanitatis studiosi dant, & multas, & elegantissimas: quarum vni cum Illustrissimus D. Leonorus Chabotius, eius Provinciæ præfectus interesset lectica vectus ob grauissimos dolores pedum, multis nobilibus viris audientibus, lacrimisque mixto dolori gaudio manantibus, dolere se vehementer dixit, quod filios nullos haberet, quos in nostram disciplinam traheret, ut cum nostris præceptis ad omnem essent laudem conformati, ex umbratili illa exercitatione egredi, in hominū luce, oculisque versarentur. In alio Dramate, cum adolescens acuto, subitoque morbo corruptus suas partes agere nequiuisset, id parens ægre adeo tulit, ut libenter se diceret pro illo morbo dimidia bonorum parte decisurum fuisse, quo filius etiam ipse in scena cum ceteris conspici potuisset. Decimo quinto Kalen. Quint. qui dies natalis est idem Collegij, omnium classium discipuli ingenij, ac doctrinae suæ specimen aliquod præbuere. itaque præter quaestiones de Philosophia, quæ positæ sunt, Collegij etiam atrium carminibus, ænigmatibusque varie scriptis ornatum est. Ea res ob sui nouitatem, atque elegantiam totam fere ciuitatem ad spectaculum exciuit: multiq. viri graues, atque docti in ænigmatum explicacione summa cu animi voluptate certarunt. Eodem apparatu hominuq. frequentia iij. Id. Febr. Fundatoris exequiæ in Fratrum Dominicanorum templo fuerunt celebratae.

tæ. Numerus eorum qui nostrum templum Sacramentorum caussa frequentant, crescit in dies magis, sublatâ præsertim opinione illa, quæ in plebis animis penitus insederat, ad nostros aditum nisi nobilibus, ac pecuniosis hominibus non patere: quare diu in æde nostra nullus visebatur loco paullo obscuriore natu: verum cognita iam veritate promiscue omnes nostra operantuntur. In oppida vicina excursiones frequentes factæ sunt, magno cum fructu. Hæretici aliquot, (qui quidem in ea Provincia pauci admodum sunt) in catholicam religionem venerunt: multo plurium studia, vel incitata ad idem, vel cum in fide vacillarent animi confirmati. Femina quedam, quæ carminibus quibusdam morbos quoscunque se depellere profitebatur ab ea superstitione deducta est. Alia mulier quæ fœnus magnum, & iniquissimum exercebat, inducta est, ut honesto, & concessò questu contenta cetera restitueret.

MISSIONES ALIQUOT.

EX hac Provincia missiones aliquot factæ sunt in vicinas ciuitates, in quibus tum in hæreticis convertendis, tum in Catholicis confirmandis opera salutariter posita est. Prima missio fuit in diœcесim Ebredunensem, quod de nostris duo, Archiepiscopi rogatu, profecti, seorsum alter ab altero præclaros in Christi horreum manipulos retulerunt. Alteri enim id negotij datum est, ut hæreticorum oppida concionabundus adiret; plurimosque is disputando ad veritatem reduxit: alter Ebreduni, alijsq. finitimiis locis est concionatus. Huic Ebredunum contendenti latronum Princeps

cum

cum suo comitatu obuius factus , quæsiuit quis esset; intrepide Pater Iesuitam se esse ait, tantumque abest ut ob eam rem quidquam in eum fecerint insolentius; ut potius de religione disputandi vltro facultatem obtulerint, atque in concionis modum circunsusi attentissime audierint. Vbi is perorauit, latronū Princeps at tu hæc , inquit , ministris audientibus dicere nunquā audeas; immo, ait Pater paratissimus sum ad illa omnia refutanda, quæ vestri ministri contra Ecclesiæ Rom. auctoritatem impie configunt : indice dumtaxat opus est: atque ita ab ijs dimititur . Altera misio ad Nionum Hæreticorum oppidum Episcopi Vazionensis rogatu . Quo in oppido unus item è nostris hæreticos conuertit ita multos, vt vix iam triginta in hæreticorum concionibus auditores numerarentur: ad extremum etiam minister oppido profugeret ; neque suorum precibus, qui ipsum reuocabant, quamdiu Pater in Oppido versatus est, potuit, vt reuerteretur, adduci; cū igitur oppidū uniuersum ad Catholicā religionē inclinaret; tota res per nefarios homines disturbatur: ij enim cū tanto impeiu religionem in oppidū persuadere animaduerterent , neque palam resistere auderent; capiunt consiliū Patris veneno tollendi : quod quamquam illi (quod Dei beneficium est) nihil nocuit: tamen quia periculum seditionis erat , Pater inde excessit, ac Nemausū Ocitaniæ urbem, Armeniaco Cardinali postulāte, se cōtulit. ibi etiā propterea quod vrbis hæreticū plenissima est, paratas similiter insidias reperit; nam præter contumelias, ac probra, quibus frequenter exagitabatur, aliquando etiam illi sclopus est

.O. II

L 4 d Cal-

à Calviniano intentus. Is tamen patientia, magnitudineq. animi furorem aduersariorum ita molliuit, ut hæreticos trecentos sexaginta cum ecclesia reconciliauerit; sexcentas excepérunt confessiones eorum, qui fere nunquam crimina expiauerant; Natalibus autē Christi ferijs Christi corpus amplius quingenis ministrauit. Tertia missio in Aquensis Archiepiscopi diœcēsim facta est. is enim suam diœcesim lustraturus duos de nostris habere secum voluit; quorum opera hæretici aliquot ad Ecclesiæ gremium rediere, ex eo numero Sacerdotes duo fuere: Minister etiam hæreticorum, habitis cum altero nostrorum de religione concertationibus, vicit ab oppido est electus.



PRO-

PROVINCIA RHENI.

ERSENTVR in Rheni Prouinciae Collegijs nouem ducenti, & octoginta quatuor de Societate, In Collegio Coloniensi triginta, in Treuirense tres, & septuaginta, in Moguntino duo, & quinquaginta, in Heribolensi quattuor, & quadraginta, in Fuldense sex, et viginti, in Confluentino quatuordecim, totidem in Heiligenstadiensi; in Spirensi quindecim. In Collegio Molsbemensi nostrorum numerus inconstans fuit; nunquam tamen pauciores quatuordecim. Paderbonae spe futuri Collegij sex adhuc è nostris commorantur. De vita exiere duodecim. In societatem recepti quinquaginta.

COLLEGIVM COLONIENSE.

Coloniæ nostri hactenus in angustis, incertisque ædibus ita habitarunt, ut inter annos triginta (tot enim sunt, ex quo societas eam in urbem venit) neque precio aliquo, neque precibus, cum viri grauissimi sua pro nobis studia interposuissent, templum aut locum lege ecclesiastica immunem, ac liberū ab senatu impetrare potuerint. Prima spes anno superiore affulsit, ædibus certis, & commodis à D. Andrea Decano attributis: hoc autem anno etiam proximum illis D. Agati Monasterium, summa hæreticorum inuidia,

catho-

catholicorum voluntate, & eleemosinis coemptum est: nihil tam præter spem vñquam. idque nunc agitur, vt tota ædificatio nostros ad usus accommodetur. In Gymnasio nostro auditores numerantur circiter mille; ex ijs creati Baccalaurei sunt quinquaginta, licentiati sex & viginti, Magistri septem, & viginti. Omnes autem quicunque nostras ad scholas accedunt, visitato illius Academiæ more, initio generalem confessionem faciunt: eaque præterea sunt indole virtutis, vt plerique sua sponte octauo quoque die crimina expient: communient vero frequenter. Qui in B. Virginis Congregatione numerantur, ij reliquos discipulos virtute, ac pietate præcedunt, vel propter multas virtutis quas habent exercitationes, vel quod nisi spectatis probatisque aditus ad eam non est: itaque Abbas S. Trudonis (quod monasterium est in Leodiensi diœcesi positum) cum pia sodalium studia, exercitacionesq. cognouisset; per internuncium petijt, vt ipse cum Fratribus duodecim ad eos aggregaretur. Eadem etiam postulata fuere Amstrodamensium religiosorum quorundam; qui Vuesaliæ ob catholicam fidem exsulant. In templo nostro communicaunt ad numerum millium quadraginta sex: confessi plurimi, adeo vt Sacerdotes decem ad omnium excipiendas confessiones non essent satis; in ijs generales fuere centum, & quinquaginta. Ab heretici in catholicam religionem venere triginta: grauisimis temptationibus liberati duodecim: mulieres quatuor à meretricia vita reuocatæ. Monachus quidam,

dām, cum à religione, fideque catholica desciuisset, sacrilegis sese nuptijs miscuit, multosque liberos suscepit: is post annum decimum octauum, generali facta confessione, ad catholicam fidem, suamque religionem uxore non inuita reuertit. Sacerdos cum annos triginta in omni scelerum impuritate vixisset, plurimosque suo exemplo corrupisset; expiatis tandem sceleribus vitam Sacerdote dignā instituit. Adolescens, cum matris suasu, nobilem, ac diuitem puellā rapuisset; sibiq. despondisset eo consilio, ut in eius bona succederet; multorum malorum faces incenderat: is, nostris similiter auctoribus, purgatis generali confessione criminibus, puellam parentibus restituit, atque cum ijs in gratiā rediit. Coniuges duo per annos octodecim nulli Sacerdoti peccata confitebantur; propterea quod sati existimabant esse ea Deo confiteri: cuius erroris ab uno de nostris discipulis conuicti, cōperunt crimina ritu catholico expiare. Mulier quedam cum à marito, catholicaque religione ad Anabaptistas primum, deinde ad Luteranos defecisset, incestasque nuptias cum Sacerdote contraxisset; ac rursus à Luteranis transiisset ad Caluinianos; multis calamitatibus, terroribusque vexata, post multos annos ad se rediit, factaque multis cum lacrimis generali confessione cum Ecclesia, & marito est reconciliata. Nec minus illustris in aliam mulierem diuina extitit misericordia; hæc sensim in tēterrīma flagitia progressa, eō peruenit impietatis, ut Sanctissimū Eucharistie sacramentum furto ablatum in cistam inclusa.

cluderet, idque omni afficeret iniuria, vocibus illis impie insultans, Tu ne christianorum es Deus? tandem nostrorum commota concionibus scelus agnouit, sacramq. hostiam ad confessarium detulit. Quid vero dicam, fratres carissimi, de alia femina religiosa, quæ ad eam descendit animi desperationem, ut christiana fide abiurata, scripto sese dæmoni manciparet; eumq. assidue precaretur, ut quamprimum se abriperet. Cum autem dæmon cunctari diutius videretur, mulier verita, credo, ut soli scripto fides haberetur; quater communicat, Deumq. præsentem de nefaria illa dettione testatur. Cum ne ita quidem, ut à dæmonे rapereetur, impetrare potuisset; cogitauit dæmonem forte religiosum vestitum horrere: itaque eo sibi detracto, dæmonem inuocare cœpit, ut aliquando iam se tolleret. Sed ne tum quidem dæmon accessit, Deo velicet non permittente, qui tandem per unum de nostris mulierem ad spem veniae excitauit, animique tranquillitati restituit.

Sacerdos è nostris, cum in oppido Iuliacensis Ducatus conciones aliquot habuisset, amplius sexcentas confessiones audiuit, aliaq. multa è re diuina gessit.

COLLEGIV M TREVIRENSE.

Collegio Treuirēsi Domus Probationis coniuncta est: itaque tironum primo res, deinde veteranorum exponam. Adolescens quidam, dum Moguntiæ apud nostros operam Philosophiæ daret, mentem societatis ineundæ diuinitus suscepit. quod consilium, licet

licet is propter parentis metum modis omnibus dissimularet, & occultaret, tamen hospitem non fecellit; a quo certior de re factus pater, Moguntiam aduolat, filioq. ad se vocato, quæ audiat proponit; querit, vera ne sint. Adolescens patris oratione adductus, aperite, atque ingenue id quod erat, confitetur: se, cum ægrotaret, voulisse nostræ fore societatis; voti damnatum Dei benignitate exsoluere id velle. Pater accusus ira filium vestibus omnibus exuit, libros, sacras imagines, rosaria adimit; custodes, ne quò effugiat, ponit: altero die, re cum cognato viro primario communicata, in patriam retrahit, ibi eum artificiose in cubiculum perductum in catenas coniicit; omniumq. colloquio interdicit: sacrarum dumtaxat litterarum volumen ex Luteri interpretatione reliquit. Sub vesperam redit pater bene potus, querit de filio, an adhuc in sententia persistat, volumenque perlegerit: filius millies se respondit moriturum, prius quam vel de sententia depellatur, uel hereicum librum sumat in manus. Tunc ille in multo impotentior rem rabiem incitatus, pugnis, vnguisq. filium ita lacerauit, ut ore contuso, liuidoque diu cibum is capere non posset, atque ad eum furorem prolapsus est, ut pugionem quereret, quo filium confoderet; sed commode eum filius alter natu minor id metuens patri ad verbera intento clam subduxerat: ægreq. tandem matris interuentu eius furor est repressus. Postero die filium rursus aggreditur, sic paratus, ut ni de sententia is se deduci pateretur; pollices, indicesq. præcidet: quo scilicet neque sacris initiari posset, neque in societate.

Societatem recipi. Itaque cum filio schedulam obtulisset; caueri, inquit, mihi à te volo tuo chirographo, societatis Iesu te non futurum. cum autem filius id iam sibi non integrum esse diceret, propterea quod voti religione impediretur: mea isthæc, inquit ille, erit religio; tu tantum mihi morem gere. Filius, cum patris vngeretur minis, neque alia ratione posset elabi; prudenter scripsit, se ad societatem non accessurum, modo ipsum pater voti religione liberare posse: quod intelligeret vel ea promissione facta, nihil hominus se vt antea voti religione teneri; neque patrem ea in re auctoritatem ullam habere. Hoc filij promisso contentus pater, querendum sibi amplius non pavuit: catenas tamen non detraxit. Interea litteræ ab Academia Moguntina veniunt ad patrem, quæ iubebant eum, graui mulcta proposita, filium Moguntiam mittere, vt Magister crearetur (sub ipsum enim examinis diem pater reuocauerat) quare cum ea syngrapha satis ille sibi cautum existimaret; filium liuenti adhuc facie, Moguntiam remittit: ipse paullo post subsequitur. Adolescens, vt omnem à se auerteret suspicionem, æqualium ludis, & colloquijs indulgere, conuiuijs interesse, aliaque his similia de industria solito liberius agere. Itaque cum pater domesticis negotijs reuocaretur, nihil iam de filio suspicans, Moguntiæ eum cum fratre reliquit. Paucis post patris professionem diebus, adolescens magister creatur rebus omnibus ad redditum comparatis, fratre præmittit; ipseq. quod publici testimonij litteras non dum accepisset, eam caussam moræ prætexens, in
vrbe

vrbe substitit: inde clam omnibus Treuiros ad Novitatum proficiscitur . Pater cum filij moram miraretur, Moguntiam se contulit; cumque filium non inuenisset, suspicatus eum apud nos delitescere , ad Collegium venit: responsum ei à P. Rectore est, neque filiū in Collegio esse, neque se scire vbi sit . Ille ratus verba sibi dari, succensus ira, pugionem quo erat præcinctus, eduxit, vt Rectorem interficeret: verum cū fores Collegij clausas vidisset, continuit sese ; atque vt ipse postea fassus est, negotium transegisset, si liberum receptum habuisset : adiuit tamen Moguntini Archiepiscopi Vicarium, atque apud eum criminatus est, filiū mendacio inductum vi in Collegio detineri . Vicarius P. Rectorem vocari iubet , quid pater adolescentis quæratur ostendit. Rector exposuit omnia, quæ is crudeliter in filiū commisisset, hoc vno nomine , quod Societas esse vellet: ceterū se ei iā dixisse neq. adolescentē in Collegio occultari, neq. se scire vbi sit . His auditis Vicarius hominē grauiter incusauit; edixitq. ne quam nostris amplius molestiā exhiberet. Qua pronuntiatione à nostrorū iniurijs abstinuit ille quidem, verū se vel ad annū decimum filio brachiū, aut pedē amputaturū minitatur: frater autē incedere dicitur sclopo armatus, vt obuiū quemq. è nostris interficiat. Interim vero adolescens magna animi constantia in proposito suscepto persistit, & ad perfectionē contendit. Eadē animi fortitudine alter fratri restitit, qui vt ipsū à Societate deduceret, leuis amplius triginta missus à parentibus venerat. Hęc de tironibꝫ: venio ad veteranos. Ii præter publicas cōciones, quæ tū in nostro, tū in summo templo

103

templo haberi solēt; in tribus præterea sacrarū virginū
cœnobij priuatas adhortationes habuere, Generales
confessiones audierunt ita multas, ut unus Sacerdos
trecentas exceperit. Hebdomadis singulis in æde no-
stra communicant circiter trecenti: festis autem cele-
brioribus mille, & ducenti. Mulier quædam cum ob-
mariti importunitatem, diuortium facere meditare-
tur, & multis passum millibus consilij caussa ad nos
venit; itaq. quod Dei beneficium est, confessarij ora-
tione est permota, ut ad omnes coniugij molestias per-
ferendas animo instructo, paratoq. domum reuerte-
rit. Alia mulier spectris quibusdam horrificis sic à
dæmone vexabatur, ut ob desperationem, eodem se
funiculo, quo crines ligabat, seipsam suffocare conare-
tur, & quo facinore concursu domesticorum impedita,
confessioneq. ab uno de nostris expiata, mentis tran-
quillitati redditia est. Luteranus minister quidam con-
tione absoluta in suggestum adscendit, omnibusq. au-
dientibus hæresim detestatus, catholice fidei pro-
fessionem pronunciauit: is conuictor nunc est, sacraq.
Theologiæ operam dat diligenter. Missiones aliquot
factæ sunt in pagos vicinos, in quorum uno Sacerdos
confessiones audiuit trecentas. Alius Sacerdos Lu-
tzemburgi Quadragesimæ tempore concionatus, mul-
torum Principum virorum confessiones exceptit; ali-
quot etiam ab hæresi ad Ecclesiam traduxit; per-
motique sunt ciues, ut de collegio instituendo cœpe-
rint cogitare.

COL-

GOLLEGIVM MOGVNTINV M.

Collegij Moguntini scholæ pestilentia non nihil
hoc anno disiectæ sunt: scholasticos tamen maxi-
mam anni partem numerauimus septingentos; ex ijs
Baccalaurei triginta quinque, Magistri unus, & virgin-
ti creati sunt. Adolescens cum ex furore quodam se-
se in aquas præcipitare constituisse, sumpta post ge-
neralem confessionem Eucharistia, rediit ad sanitatem.
Cuidam capitis damnato, cum ad supplicium ducere-
tur, Sacerdos è nostris praesto fuit: is tanta cum fortitu-
dine, & patientia supplicium pertulit, ut eius potissimum
exemplo commotus quidam è turba culpæ eius-
dem affinis, Patrem postridie conueniret, eique gene-
raliter cōsideretur. Archiepiscopus Moguntinus Col-
legij Fundator, ac tum de Collegio, tum de Societate
vniuersa optime meritus vita decessit: cuius morte ob-
egregiam vitæ illius sanctitatem grauissimum vulnus
toti imperio infictum videri potuisset; nisi ad maximæ
Præpositorus vir prudentiæ, doctrinaque singularis, om-
nium sententijs electus, bene etiam in posterum nos-
sperare iussisset. Is cum eo ipso die, quo Archiepisco-
pus est creatus, ab summo templo in arcem maxima
pompa, & frequentia deduceretur, vidi in turba P.
Rectorem, eiusque dextram prensans singulari amo-
ris significatione appellauit. Postridiē eius diei Herbi-
polensi, & Vormatiensi Episcopis comitatus, templū,
& Collegium nostrum inuisit; templum etiam pictu-
ris egregijs ornandum curauit. Idem cum Augustam
ad comitia proficiseretur, P. Rectorem secum dedu-

M xii;

sit; ut eius opera, & consilio, si qua de religione con-
trouersia incidisset, vteretur.

COLLEGIVM HERBIPOLENSE.

Herbipoli nostri adhuc omnes disciplinas, quæ
quidem religiosis viris alienæ non essent, Socie-
tatis instituto docuerunt. Magistri enim sunt omnino
quattuordecim, quorum tres Theologam, Philoso-
phiam quattuor, Humanitatem profitentur septem.
Cum autem Episcopo ea Academia imperfecta,
& inchoata videretur; disciplinas reliquas, cōductis ex-
ternis doctoribus, adiūgere cogitauit. Itaque impetrā-
tis à Pontifice maximo, & Imperatore diplomatis,
sūma hominū celebritate, re diuina rite peracta, Aca-
demia promulgata est: quam promulgationem bīnū
disputationes Theologiæ, Philosophiæque sunt conse-
cutæ; nonnulli etiam, qui ante aliquot annos Philoso-
phiæ cursum absoluerant, Baccalaurei, & Magistri
creati. Discipulorum porro in nostris scholis quingen-
itorum, & quinquaginta numerus est; Conuictorum
centum viginti quattuor. Qui in B. Virginis fodalitate
numerantur, iij præcipua sunt apud omnes existima-
tione, sic prorsus ut Abbates duo magnæ auctoritatis
viri, inter eos ut referrentur, postulauerint. Doctor
etiam Theologus, qui Principis consiliarius, & con-
cionator est, spiritualibus exercitijs hebdomadas ali-
quot institui voluit. Festis diebus varijs in locis concio-
nantur de nostris quinque, plerumque etiam septem;
neque sine fructu; ab heresi enim renocati sunt trigin-
ta, plurimi vniuersæ vita maculas confessionis sacra-
mento eluerunt.

COLLEGIVM FULDENSE.

Fuldæ inter nostros discipulos duæ sunt institutæ sodalitatis, altera B. Virginis Mariæ nomine, sanctiss. Sacramenti, altera: his propositū est, vt sacrosanctæ Eucharistie cultum, atq. honorem, quacumq. possint ratione amplificent, quare octauo quoq. die cōmunicant, aliosq. suo exemplo, & cohortatione ad idem inuitant, ac sese, vt est captus adolescentium, contra hereticorū argumenta comparant diligenter. Concionum, confessionumq. fructus idē qui solet. Populistiudium, ac pietas cum alio tempore, tum eo maxime spectata est, quo à P. Rectore ob Christianæ reip. calamitatem preces, ac litaniæ nostro in templo publice sunt indictæ; eas enim in usitata hominum frequentia à manevsq. ad uesperā celebravit. Fuldsis Praefecti uxoris Dæmonie cornepta, cū eam frustra sepe luteranus concionator curare aggressus esset; diuina tandem ope à nostro Sacerdote sanata est. Teutonicus Magister Fuldensis Provinciae Gubernator, omnem nobis, præstat humanitatem; suaq. auctoritate efficit, vt Fulda minus periculose nostri versentur. Enrici Ducis uxoris cū à viro multis precibus impetrasset, vt aliquem de nostris haberet; missus ad eam Branfuijam est P. Gerardus lapidanus, qui non modo ipsius Ducissæ, sed etiam Germanorum, & Italorum plurimas confessiones exceptit. Is Pater mirum in modum animos hominum sibi adiunxit, tū modestia, & grauitate morū; tum quod multos dæmonibus obsessos liberavit: itaq. cū ibi decessisset, funus ei quā amplissimū catholico ritu curarū;

M 2 atque

atque in monasterio tribus ab urbe passuum millibus,
honorifice condiderunt.

C O L L E G I U M S P I R E N S E ,
& Confluentinum.

Spiræ ob pestilentia metum discipulorum numerus nonnihil est imminutus; noster tamen labor, quem in ijs instituendis posuimus, egregie constituit. Adolescens quidam, cum parentes ad hæresim luteranam defecissent, sponte domo paterna cessit; desertusque à suis precario cogitur vicitare, elegitus mendicus, & abiectus esse in domo Dei potius quam cum diuitijs in tabernaculis peccatorum. Aliqui etiam quod palam se se pro catholicis gerant, pugnis, calcibusque male ab hæreticis accipiuntur. Multi ex vicinis hæreticorum locis confessionis gratia ad nos veniunt, ex quorum numero fuit Principis heretici Praefectus; is etiam uxorem hæresi Calvianiana infectam artificio quodam ad nos perduxit; que tandem cum Ecclesia reconciliata, & à peccatis generali confessione purgata, sacram Eucharistiam cum marito rite suscepit. De Collegio Confluentino nihil occurrit in præsentia, quod à proximis litteris diuersum sit: nisi forte vultis hoc scire, quod certe vultis. Nostrí ex angustijs scholarum superiorum annorum in laxiorem habitationem distinctam in classem quinque commigrasse: quod gymnasium senatus, simul nostri ludum aperuerunt, à fundamentis exstruxit. In studiorum renouatione consiliarijs, senatuque

Confluen-

Confluentino præsentibus, Archiepiscopus diplomata promulgari iussit, quibus ipse nos, discipulosque nostros ciuilis magistratus actioni, potestati que excipiebat. Neque præterea cessat optimus Antistes quibus alijs potest rebus nostram Societatem ornare: Collegium enim annuis in perpetuum vectigalibus stabiliuit; multaque munera cum in nostrum vitum, tum in templi ornatum dedit: fecitque nostris libere in vniuersa diœcesi Societatis ministeria exercendi potestatem.

MISSIO PADERBORNENSIS.

Tertius annus est, ex quo nostri vocatu Canonum, mandante Pontifice maximo, sedem Paderbornæ posuerunt eo consilio, ut ibi Societatis Collegium institueretur. Cum autem rem extrahi longius videret P. Provincialis, nostros inde reuocare constituit; id quod canonici ægre admodum tulere, Patrique Provinciali per litteras institerunt, ne inde nostros remoueret: daturos se operam, ut vectigalia duplicarentur, & habitatio laxaretur; scholas quoque ciuitatis se nobis tradituros polliciti sunt, ex quibus duæ adhuc in nostra sunt potestate; cum enim publicus ludimagister Caluinianus hoc anno mortuus esset, rogatu Canonicorum unus è nostris suffectus, schola illius gubernationem suscepit; ceterasque deinceps ad nostros delapsuras speramus. Sex igitur sunt in vniuersum Paderbornæ de nostris; qui cōcionibus, alijsque ex instituto muneribus in proximorum salu-

M 3 tem, &

tem, & hæretorum conuerstionem inuigilant. Dyna-
sta quidam cum acerrimis conscientie stimulis ange-
retur, Societatis fama commotus, aliquot passuum mil-
lium iuinere ad nos contendit; factaque confessione
tranquillatus est. Puer natus annos quattuordecim cū
ā Dæmone ita vexaretur, ut tum ceteros, tum paren-
tes ipsos gladio sepe inuaderet; aqua benedicta,
diuiniq. agni sacra imagine liberatus est:
quibus remedijs iisdem consultum
puellæ est, quæ dæmonis ope-
ra ad instar follis
inflabatur.

Dominus ecclesia

PRO-

PROVINCIA GERMANIAE SUPERIORIS.



ONSTAT Superioris Germaniae
Prouincia Collegijs octo Ingolsta-
dienſi, Monachiensi, Dilingensi, Augu-
ſtano, Oenipontano, Lucernensi, Ha-
lensi, Triburgensi, & una Probatio-
nis Domo Lanspergensi. In his habi-
tant de Societate centum, & nonaginta sex; Ad So-
cietatem accessere quattuor, & viginti; unus in domi-
no quieuit.

COLLEGIVM DILINGENSE.

IN his Germaniae Prouincijs alia in re nulla uti-
lius opera ponitur à nostris, quam in hæreticis ad
sanitatem traducendis; ex quibus Dilingæ ad catholi-
cam fidem rediere quatuordecim, ex eo numero fuit
vir nobilis. I.V. Doctor Doctoris cuiusdam Theologi
præstantissimi frater, hic viuo fratre nunquam adduci
potuit, ut se catholicum profiteretur; eo autem defun-
cto, cum prouincias plurimas peragrasset, omnesq. se-
ctas hæreticorum diligenter inspexisset, neque tamen
animus in earum vlla nisi in catholica religione con-
quiesceret, tandem Dilingam venit, suosque scrupu-
los cum nostris Theologis contulit: quibus Dei benefi-
cio exemptis, catholicæ fidei publicam fecit profes-
sionem, ac generali confessione purgatus, tum

M 4 primum

primū catholicō ritu communicauit. Senex similiter annos natus octoginta, ad catholicā religionē reuer-sus, chrismatis sacramento, maxima cum animi vo-luptate confirmatus est. Hæc cum Hæreticis: neque minor fructus ex catholicis perceptus. In monasterio enim S. Benedicti in primis nobili, quo nostri ab Ab-bate, Fratribusq. ter hoc anno sunt euocati, cohorta-tiones insigni cum fructu habitæ; Abbatis, Prioris, ceterorumq. Fratrum generales confessiones auditæ: libri obsecæni, hæreticiq. flammis cremati: Nouitij in meliorem disciplinæ ordinem redacti: quæq. præter-ea priuatim à singulis contra voti paupertatis reli-gionem possidebantur, in medium ante pedes Abba-tis relata: instituta quoque inter eos B. V. Mariæ so-dalitas, in qua statis diebus coeuntes, ac de religiosi hominis officio inter se conferentes, pietatis calorem subinde excitent, atque conseruent. Alterius item sacrarum virginum monasterij disciplina legibus se-terioribus vincita est. Monachi octo ex D. Benedicti familia, alijs alijs temporibus Dilingam à suo Prafe-cto missi sunt, vt societatis nostræ meditationibus ex-ercentur. In duobus pagis christiana doctrina die-bus Dominici explicata est; paganorumq. fere om-nium generales confessiones exceptæ. Ad arcem viri cuiusdam clarissimi, maximeq. catholici frequenter, nostri eius vocatu iuere, vt ipsius, & uxoris lectissi-mæ feminæ, quæ superioribus annis à catholica reli-gione auersa, iam tandem cum Ecclesia reconciliata est, confessionem audirent. Alius è nostris in nobilissi-mo mulierum coenobio quadraginta circiter ex ijs gene-

generali confessione expiauit; atque ex eorum moribus perniciosa quamdam, & inueteratam consuetudinem felicissime deleuit. Scholasticorum numerus sexcentorum est, ex ijs plerique Germani, & Poloni loco nati clarissimo. Conuictorum familia constat adolescentibus centum, & sexaginta ex præcipua nobilitate: inter eos præter cathedralium ecclesiarum Canonicos aliquot; Religiosi diuersarum familiarum numerantur ad quadraginta: ij quo facilius ad religiosam disciplinam excolantur, seorsum ab alijs habentur, cibumq. capiunt. Atque horum quidem rectæ institutionis præcipua ratio à nostris habetur, propterea quod in eo totum videtur esse: multi enim ad sua monasteria reuersi insignem secum morum mutationem inuexere, ac propter doctrinæ, probitatisque opinionem maxima apud omnes auctoritate sunt. Cum morte Cardinalis Moroni de Collegio Dilingensi singulariter merito, Collegium ipsum non exiguum eleemosinam, quam ille annis singulis dabat amisisset; placuit diuinæ bonitati per Gregorium X I I I. unicum Societatis benefactorem, nostrorum inopiam leuare; qui cum eius Collegij statum cognouisset, iussit aureos ducenos, quoad ipse vixerit, ex Camera Apostolica nostris quotannis numerari.

COLLEGIVM IN GÖLSTAÐIENSE, & Monachiense.

IN golstadij duodetriginta sunt cum ecclesia reconciliati; quorum aliqui cum suos initio errores pertinaciter defenderent, vici rationibus, veritati tadem

cee-

cessere. In his magister fuit quidam bonarum artium, qui lecto cuiusdam è nostris contra hæreticos libro, tantis cœpit conscientiæ stimulis agitari, nullā vt quietis partem capere posset, quoad in catholicam religionem, atq. adeo in societatem veniret. Vniuersæ vitæ crimina expiarunt amplius centum; plurimi scelera grauißima, quæ vel sex, vel decem, vel etiā quattuordecim annorū spatio nefarie occultabant, magna cum doloris significacione confessarijs aperuerunt. Quidam propter scelerum conscientiam, eam concepit animo desperationem, vt mortem sibi ipsi consciscere omnino constitueret: cum autem sæpius adacto in pectus gladio, res non succederet, cogitabat sese in flumen præcipitare: is tandem nostrorum opera crimina confessus ad meliorem spem excitatus est. Mulier quædam cū sibi strui necē à marito animaduerteret, fuga sibi consulere decreuit; sed communicata re cū uno è nostris, consilium mutauit, & officijs, studijsq. mariti animū sibi reconciliauit. Undecim tum religiosi, tum scholastici spiritualibus exercitijs apud nos vacarunt. In vicinis pagis Fratres tres christianam doctrinam docuere, Pater vñus habuit conciones.

Monachij Gulielmi Bauariæ Ducis omnia in nos benevolentia summa officia constant: noui templi ædificationem, coemptis aliquot ædibus vrget, ac promouet; ceterosque ad idem studium cohortari non desistit. Is cum ex suis familiaribus aliquot esse nostris iniquiores intellexisset, grauißima oratione Societatem, ijs atque collegium commendauit, quæ oratio plerisque eorum lacrimas mouit; adeo nihil opti-

optimo Principi cordi & que videtur esse, ac Dei gloria, fideique catholicæ propagatio. Ab hæresi reuocati sunt sex, & triginta: generales confessiones auditæ quadraginta quatuor: Christiana doctrina duobus in locis explicata. Scholastici numerantur sexcenti, probitatis, ac modestiæ singularis: Feria hebdomadæ sanctæ quinta, ante sepulchrum, quod in aula scholarum excitatum est, flagris sese omnes cederunt; ijdem sub noctem saccis atris induiti, crucifixi præferentes imaginem, psalmosque decantantes, supplicationem ad omnia orbis tempora instituerunt: quæ res quemadmodum in ijs locis inusitata, sic omnium iudicijs, testimonioq. comprobata est.

COLLEGIVM OENIPONTANVM,
& Halense.

IN his Collegijs præter ea, quæ cum alijs locis societatis communia sunt; Oeniponti duo, qui per annos tredecim graues, & atroces inimicitias gerabant proxima Quadragesima sunt inducti, ut expiatæ criminibus, mutuâ bencuolentiam susciperent: quæ pacificationem, propterea quod inueterata esset, seque in eam viri graues, doctique frustra olim interposuissent, vix sperabat homines ad exitū perduci aliquando posse. Duo similiter matrimonio coniuncti, cū inter eos à Zelotypia discordia nata esset, deq. dissidio cogitarent; facta confessione, quæ eorū alter annos multos intermisserat, in gratiâ rediere. Pater unus è nostris cū in patriâ proficeretur Parochū impulit,

ut concubinam, quam annis tribus, & viginti habebat, multosque ex ea liberos procreauerat, dimitteret; atque tum ipsius Parochi, tum mulieris generalem confessionem exceptit.

Halæ autem frequenter ad carceres itum est; adiutiq. ij, qui extremo suppicio afficiuntur; ex quibus unus capit is damnatus, licet pridie esset confessus; tamen cū sibi non factū esse satis videretur, cū nostro Sacerdote confessionem iterum peregit: is postea cum ad supplicium duceretur, repente in carcerem nescio quam ob causam reductus, paullo post votis B. Virginis nuncupatis, liber dimittitur; factaq. generali confessione, ad votum soluendum profectus est. P. Rector subinde à vicinis dynastis euocatur, ut ipsorum audiat confessiones. Virgines duæ sunt quedam nobiles de Societate bene meritæ; harum altera sericam vestem magni precij, altera calicem argenteum, ampullasque cum patena ex eadem materia in templi contulit ornatum.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

Augustæ Comitiorum tempore valde singularia existitere in nostros Principum catholicorum studia. Cardinalis enim legatus nostro confessario semper est vsus: reliqui autem dynastæ facellum nostrum cum illustri sue in nos benevolentia significatione frequentarunt, inopiamque liberalitate subleuarunt. Episcopus Argentoratensis aureos centum dedit; Gulielmus Bauariæ Dux quingentos; Carolus Archidux centum; Archiepiscopus, & Cancellarius Vnga-

Vngarie multorum nummorum calicem donauit. Imperator præterea, ceterique Principes multa liberalissime contulerunt. Nam quid ego de Fuggeris dicam? qui quemadmodum erigendi Collegij auctores fuere, ita de eodem benemerendi principatum apparet evidenter. Sub festum Assumptionis B. Virginis, Cardinalis, & Episcopus Vercellensis, plenaria indulgentia indicta, & Eucharistiæ sacramento proposito, horarum quadraginta supplicatione in sacello nostro instituerunt, ad quam Prælati plurimi, Episcopi, Archiepiscopi, Proceresq. conuenerunt; maxime vero Bauariæ Duci, coniugisq. pietas enituit; qui cum eo tempore in nostrū facellū sæpius precatū venissent, plures semper horas preces continuarunt. Supplicatione absolta Episcopus Vercellensis rem diuinam ritu quam maxime solemnī fecit, Legato, multisq. Principibus, ac Dynastis præsentibus; è quibus multi, in ijs Bauariæ Dux rite communicarunt; qui etiam Dux non ita multo post Legato, Archiepiscopis, Electoribus, alijsq. Archiepiscopis, virisq. clarissimis epulū in nostro Collegio præbuit. His rebus magnus hereticis dolor est inustus; qui licet amplius viginti partibus plures sint quam catholici, toto tamē comitiorum tempore ne vnu quidem suæ factionis Principem inducere potuerunt, ut in ipsorum templis vel pedem inferret: cum tamen interea Collegium nostrum à catholicis Principibus, ac Dynastis celebraretur, vsque eo, ut præ curruum; et equorum multitudine vix transitus in publica platea esset. Concio[n]es ternæ habitæ sunt, una in summo templo, altera ad Bauariæ Ducem, tertia quæ latina fuit, ipsius

sius Cardinalis rogatu habita est. Ad christianæ do-
ctrinæ explicationem heretici, catholiciq. confluunt.
itaque heretici conuersi sunt nouem; generalem con-
fessionem fecere septendecim. Quidam cum graui
scelera in confessione reticuisse, & spectris quibusdā
horribilis agitatus prope ad insaniam adduceretur;
confessione integrè facta, peregrinationem duxit, li-
brosq. hereticos, ut incenderentur, ad nos detulit, atq.
ita liberatus est. Scholæ hoc anno primum aperte
sunt, earumq. initium oratione, missaq. de spiritu san-
cto celebratum: quæ res ut catholicis lætitiam ingen-
tem, ita hereticis maximum attulit dolorem; qui etiā
sub ipsum principium comitiorum rumorē quemdam
sparserant, fore vi nostri, ubi primum Saxoniæ Dux
urbem esset ingressus, urbe pellerentur. Primo schola-
rum die discipulos numerauitus ceterum; qui quattuor
in classes distributi, sponso nobis magnam afferunt sum-
mæ virtutis, & probitatis. Quid multa, lœta initia
videmus, neque consequentia dissimilia fore Deo iu-
uante speramus.

COLLEGIVM FRIBVRGENSE.

Collegium Friburgense est illud quidem aliquot
annis ante admissum, hoc autem à nostris primū
incoli cœptum. Scholæ decimo quarto Kal. Novemb.
communi omnī lætitia sunt apertæ; pridie illius diei,
Clero, senatuq. vniuerso, nec non Prætoribus, Ducisq.
Subaudiæ Legato presentibus oratio habita est: quo
die eodem D. Præpositus vir nostri amatissimus Pre-
tores,

tores, Legatum magnamq. senatus partem, & quatuor de nostris conuiuo splendido, atq. magnifico exceptit. Discipuli intra quindecim dicos numerati sunt amplius centum; publicus enim ludimagister quoscunque auditores nostris scholis habebat idoneos, vltro ad nos misit; filiosq. vulgo parentes reuocant, quos ante inopia magistrorum Lausannam hæreticorum urbem studiorum caussa amadare consueuerant. Concionibus, quæ habeniur à nostris, Heluetiarum ciuitatum legati interfuerunt; è quibus aliqui male de religione sentientes, peccata confessi, publicam fidei professionē fecere. Generales confessiones auditæ septuaginta; ad orthodoxam fidem rediere duo, & viginti, in his duo ex Prædicantium familia. Saxo quidam à multis passuum millibus Friburgum venit, vt vera fide, ac religione à nostris institueretur; is hæresim detestatus, confessionisque, & Eucharistiæ sacramento expiatus, ut in sodalitatem B. Mariæ Virginis admitteretur, summis precibus contendit. Christiana doctrina cum ingenti fructu tradita est; eam rem maxime Lugdunensis cuiusdam bibliopolæ insignis pietas, ac liberalitas adiuuit; qui Friburgū ad nos milie circiter sacras imagines, Litanias B. Virginis quingentas, Catechismos quinquaginta huius rei causa misit.



PRO-

PROVINCIA

AVSTRIAE.



ENSE TUR Austriae Provincia
Socijs ducentis, qui locis quinque
habitant, in Collegio Viennensi quin-
quaginta tres, in Pragensi unus, &
triginta, in Olouensi octo, & trin-
ta, in Græensi octo, & viginti: his
adduntur missiones totidem, in quibus omnino ver-
fantur duodecim. Societatem iniere decem, & octo.
Mortui sunt undecim.

COLLEGIVM VIENNENSE.

Viennæ concionibus nostrorum, que singulis fe-
stis, dominicisque diebus in præcipuis templis
quaternæ habentur, effectum est, ut aliquot de catho-
lica religione multo melius sentiret, sacramenta fre-
quentarent, carne per eos dies non rescerentur, qui-
bus est ab eccllesia interdictum; ergaq. ecclesiasticas
cæremonias multo melius quam antea afficerentur.
Itaque ineunte Quadragesima plurimi ad nostrum
templum conuenerunt, ut ipsorum capitibus sacri ci-
neres rite adspergerentur. Sexta vero feria hebdo-
madæ sanctæ, cum signum Crucifixi adorandum de
more proponeretur, tanta nobilium virorum, ac ma-
tronarum multitudo confluxit, quantum superioribus
annis nostri nunquam meminere. Confessio, commu-

O 89

nioq.

moque frequentissima est, neque dies est ullus, quo die aliqui per confessionem non expientur. Aliquot cum periculose ægrotarent, susceptis Ecclesiæ sacramen-
tis, sanitatem præter spem recuperarunt. Familiæ
tres cum veteres, & graues inimicities exercebant,
odijs depositis, in mutuam benevolentiam, & amicitia
rediere. Virgines aliquot, quæ nostris confitebantur,
perpetuæ virginitati, monasterioque se sacrarunt. In
xenodochia itum frequenter, inductique duorum xe-
nodoxiorum ægroti, sub una specie ut omnes commu-
nicent. Eorum autem qui carcere detinentur, non ani-
mi solum confessionis sacramento, atque pijs sermoni-
bus adiuti sunt; sed corporibus etiam corrogatis ele-
mosinis prospectum; qua nostrorum caritate permoti
multi, qui animo antea erant obstinato, in Ecclesiæ
catholicæ veritatem venerunt. Præter hos alij pluri-
mi ad Ecclesiæ gremium rediere, ex quo numero
fuit viri potenti filius eques Hierosolimitanus, qui
hæresim Paschalibus ferijs detestatus, sacram Eucha-
ristiam sub una specie sumpsit. Is apud parentes instan-
do effecit, ut ij per se nostros, quorum vel nomen an-
tea tanquam malum omen exsecabantur, studio ve-
ritatis addiscendæ ad se euocarent; quod si, ut spera-
mus, catholicam ij religionem suscepint, magnus ad
Rom. fidem propagandam aditus aperietur; propte-
rea quod, & potentes sint, multorum oppidorum,
ac pagorum domini, plurimumque apud ceteros Au-
striæ dynastas auctoritate valeant. Duo quoque Hun-
gari concionatores Hæretici ad Rom: Ecclesiam tran-
sierunt.

N. Imp.

Imperator, eiusque fratres Ernestus, & Maximilianus omni nos genere humanitatis complectuntur, ijdem publicæ supplicationi, quæ ferijs Christi corporis habetur, singulari christianæ pietatis exēplo affuerunt: quæ res dici vix potest, quantum bonorū animos ad bene in posterum de religione sperandum erexerit. Eadem in nos benevolentiae signa dat Episcopus Vienensis, frequens enim nos amicitiae caussa inuisit, & in rebus grauioribus, quæ incident, nostrorum sententiam, & consilium requirere solitus est. Is cum ad placandum Deum, pestemque auertendam tridui supplicationem ad tria templa indixisset; tertium diem nostro templo designauit. Ea supplicatio tanta hominum frequentia celebrata est, quantam nostrum templum, ceteroqui amplissimum capere non potuit: quo etiam die Episcopus grauissima, doctissimaque oratione populum ad pænitentiam, morumque emendationē est cohortatus. Nuncius vero Apostolicus non solum nos inuisit, cibumque apud nos capit, verum etiā pernoctat; Rem diuinam nostro in templo facit frequenter, & Eucharistiam tum nostris, tum reliquæ multitudini distribuit: quintæ item feriæ sacrosanctæ hebdomadæ solemnia, ingenti populorum frequentia, & lætitia peregit. Sclauoniam lustraturus idem duos de Societate secum deduxit; quorum opera in euellendis erroribus; si qui nati essent, vteretur. Similia studia sunt Regis Poloniæ legati; is crebro in æde nostra missæ offers sacrificium: natalique Christi domini die sub nomine medium, & auroram, missam pontificali ritu, & apparatu celebrauit, plurimosque Christi corpore impertivit.

pertinuit. Eodem die epulum in Collegio Nuncio Apo-
stolico, nostrisque omnibus lautissimum præbuit.

COLLEGIV M PRAGENSE.

Mense Quintili cum Pragæ nostri pulcherrime starent, pestilentia exorta turbauit omnia. Scholas præcipue illud malum afflixit; quare eas claudere, discipulosque dimittere nostri coacti sunt: qua in re discipulorum caritas, & benevolentia in præceptores maxime perspecta est: cum enim præcipui magistri Pilsnæ Boemæ ciuitatem secessissent, discipuli nullo modo se ab ijs diuelli sunt passi, communemque cum ijs pestis casum sustinere se velle profesi sunt. Similem animi pietatem, & benevolentiam in re non dissimili ostenderunt pauperes Collegij adolescentes, quibus cum alio migrandi facultas offerretur, unde cim ex ijs Pragæ omnino consistere voluerunt, ne templi cultus intermitteretur, atque inde Societati aliqua infamia nota inureretur: itaque ij omnes communi male sunt correpti, sex etiam extinti. Qui autem ex nostris Pilsnam profecti sunt, ij, dici vix potest, quanta cum benevolentia excepti, tractatique sint. Nam præterquam quod optimas illis, & nobilissimas ad habitandum ædes adsignauit ciuitas, omnibus præterea publicis eoru actionibus Senatores interfuerunt. Adolescentes octo Senatu, Archiepiscopo, alijsque viris clarissimis præsentibus, summa pompa, letitiaque Magistri sunt creati. Quod spectaculum vi pote nouum, & inusitatum ciuitati accidit iucun-

N 2 dissimum,

dissimum, sic ut ciues elegantiſſima oratione publice
ſint teſtati, nulla alia ex re plus ſibi, ciuitatique orna-
menti fuſſe accessurum. Menſibus circiter duobus,
quibus Pilſnam ventum eſt, initium peſtis ortum ſcho-
laſ iterum diſſipauit; quattuor etiam de noſtriſ ex-
tinxit. Hęc de rebus ſcholaſticis. Communicanteſ in
aede noſtra hoc anno fuerunt numero duum milium
quingentorum; qui numerus vt in tot, tantisq. rerum
diſſicultatibus paruus videri non debet. A varijs ha-
rebiſ ad catholicam religionem traducti tres, & vi-
ginti. Confessiones aliquot auditæ eorum, qui octo, aut
plurium etiam annorum ſpatio criminā non expiaue-
rant: quidam etiam præcipua dignitatē viri generale
rite confeſſionem fecere. Non nulli à nouem, aut ſe-
ptemdecim paſſuum millibus ad nos confeſſionis, com-
munionisq. gratia contendereunt. Tres milliū paſſuum
duodecim itinere veneſunt, via paluſtri, & lutulenta,
vt plerumque umbilico tenus aqua eſſet; eorum unuſ
cum ab hereticis ob catholicam religionem in carce-
rem fuſſet coniectus, quamdiu ibi fuit, eum ſemper
lux clarissima circumſudit, cui etiam rei dant testimo-
nium iij, qui præſenteſ interfuerunt: totoq. eo tempo-
re ille ſe incredibili caeleſtium gaudiorum copia abun-
daffe conſirmauit. Iudaeus quidam christiana cathe-
cheſi inſtitutus, & in ſummo templo in conſpectu ci-
uitatis vniuersa baptizatus eſt; hominemque de ba-
piſmo viri è prima nobilitate ſuſcepereunt.

COL-

COLLEGIVM OLOMVCENSE.

Sanctæ Annæ sodalitas, quam Olomutij instituta proximis litteris scriptum ad vos est, magnos in pietate progressus facit. Multi in eam leguntur viri nobilissimi, qui catholicæ religionis, omnisque virtutis sunt exemplum; sacramenta obeunt frequenter, atque tum sue ipsorum saluti, tum aliorum diligenter inuigilant, multosque ab heresi ad catholicam veritatem adduxerunt. Ex ijs quidam sextis quibusque ferijs ob Christi necis memoriam, vinum non gustant: alijs iisdem diebus pane, & aceto vicitant. Natalem S. Annæ diem expiatis criminibus, christique corpore suscepto, singulari animi pietate concelebrarunt: quo die omnes ad Diue ipsius templum, quod passuum abest millibus quattuor iuerunt; plerique etiam iter illud asperum, atque arduum nudis pedibus confecerunt. Quos ibi omnes Episcopus, (qui & ipse in sodalium numero est) liberali coniuvio exceptit. Sodalitatis Rector vir Senatorius cum aliquot familiaribus, peregrinorum vestitu, ad B. Virginis ædem triginta ab urbe passuum millibus, pedibus profecti; ac redeuntes, urbem psallentes inierunt, Prætoriumque ipsum ter circumierunt, stupentibus hereticis, unde tanta in senatore ad id audendum fiducia; letantibus vero catholicis, quod adhuc reliqui essent aliqui religionis, pietatisque auctæ studiosi. Ciues quidam hereticus cum graui morbo laboraret, ecclesiæ reconciliatus, & in sodalitatem adscriptus sanus illico factus est; uouitq. D. Annæ diem

N. 3 Na.

Natalem semper festum, ac solemnum se habitorum.
 Alter ex sodalibus, cum ad ipsum munus quoddam publicum plenum honoris, ac dignitatis deferretur, nullis consulim minis, aut precibus induci potuit, ut id sciperet; propterea quod eo munere necessitatem sibi agedi cum hereticis videbat imponi. Femina quedam primaria, & locuples ex eadem sodalitate, singulari studio pueris scabiosis capita manibus suis abluit: ac pro expiatione earum animarum, quae sunt in Purgatorio, certum alit pauperum numerum.

Ad nostros præterea magna solet hominum multitudo confessionis causa conuenire; ferijsq. Peschali bus consitentium tria millia centum, & septem numerati sunt: quorum plurimi aut generales vita totius, aut multorum videlicet viginti, vel quadraginta annorum confessiones fecerunt. Septem, & viginti Luterana heresi deposita, fidem orthodoxam suscep- runt; multo plures induci, ut sub una dumtaxat specie communicent; in quibus duo fuere Senatores. Parochi duo concubinas dimiserunt. Mulieres quatuor à vita flagitiosa reuocatae; ex his una cum turpi consuetudine, parentum, atque ciuitatis vniuersitatem odium in se concitasset, à multis millibus passuum venit ad nostros, confessionisq. sacramento expiata laudabilem vitam instituit. Matrona quedam, cum propter odium inimicitarum triennio sacramentis caruisset, reconciliata per nostros inimicis, sacramenta iam frequen- tat.

¶ ¶

COL-

COLLEGIVM GRAE CENSE.

Græciū magnum est Hæreticorum odium in societatem, quippe quam vnam dicitant suis conatis obſistere; itaq. quidquid Archidux, Consiliarij. summe catholici de religione decernunt, id totum à nostris consilijs proficiſci interpretantur. Nuper accidit, vt Carolo Archiduce ad comitia profecto, eius Consiliarij quedā de religione decreta facerent; quæ nostris auctoribus prolata cum ſuſpicarentur hæretici, rumores ſparſerunt, Prouinciam vniuersam facta rebellione, de Nuncio Apostolico, & Iefuitis interſiciendis coniurasse. Quæ fama cum ad Sclauoniam vſque pecrebuſſet, nobilissimi quique, qui filios in noſtrā disciplinam tradiderant, eos omni festinatione reuocarunt: noſtrorumque gymnasium magnam per eum tumultum diſcipulorum iacturam fecit: donec reditu Principis, rebusque compositis, diſcipuli redire cœperunt. Catholicorum autem egregius in noſtis animus, & benevolentia; in quibus tamen ipſi Principes, benemerendi de nobis principatum tenet: nam & in collegium veniunt frequentes, diesque totos cum noſtris ponunt ſuauifime; neque hebdomada vlla eſt, qua non ſepiuſ noſtros ad ſe vocent, eorumque conſilium in ijs, quæ quotidie incident, requirant: ijdem ſi quando ab urbe longius abfuturi ſint, ſemper è noſtris aliquem ſecum deducunt, qui à concione, confeſſioneque ſit. Septembri mense venit ad hāc urbem Gulielmus Bauariæ Dux, fratre, alijsque Principibus comitatus, vt Archiducis filiam ſu-

N 4 sci-

sciperet è baptismo: mirum quanta Dux optimus Vbi que nostros benevolentia complectatur: Collegiū enim sāpe solus adiit, primoque die latina oratione, carminibusquē exceptus est; vltro etiam sese nostris coniuū obtulit cum Nuncio Apostolico, Episcopo Gurcensi, Archiducibus quattuor, Ducibus tribus, Marchionibus duobus. Episcopus autem Gurensis totus est noster; is ad omnia consilio nostrorum vtitur; criminā expiat frequentissime: quin immo ter, aut quater in anno, Societatis more, generalem instituit confessio- nem, in pauperes præterea benignissimus est, eosque sāpe diebus festis lauto conuiuio accipit, ipseque discumbētibus summa cum animi voluptate ministrat atque ad hæc, quo maiore, vt ipse ait, omnia fiant or- dine, de nostris aliquot semper solitus est adhibere. Hoc odium Hæreticorum, catholicorumque benevo- lentia magnos nostris ad viramque officij partem stimulos admouet: itaque datur sedulo à nostris ope- ra, vt neque ab hæreticis accusari, neque à catho- licis requiri ipsorum possit officium; multaque in bære tica ciuitate ad Dei gloriam, salutemque proximoru- insignia quotidie geruntur. Illud vero in publico car- cere apud vincitos è re diuina effectum est, vt hæretici ministri, qui eò sese insinuabant, inde Archiducis edi- cto arcerentur: quare cum nostri liberum iam aditum ad eos habeant, omni pietatis officio eorum animis, cor- poribusque consulunt. Inter alumnos, conuictoresque spiritus sancti Congregatio instituta est, atque à Pon- tifice Max. confirmata; & indulgentijs aucta. Eius so- dales ipso Pentecostes die, ex Tridentini concilij San- ctione

etione multis nobilissimis viris audientibus; Catholicā religionē rite sunt professi, excipiente professionē Canonicorū Regularium præposito; qui eo ipso die cum alio familie eiusdem in sodalium numerum referri voluit. Hi octauo quoque die suos habent cœtus, atque ad omnem virtutem inuicem se adhortantur: idem Eucharistiæ sacramentum, cum ad ægrotos deferitur, religiose prosequuntur; præstoque sunt ijs, qui ad supplicium ducuntur; atque ne ab hereticis decipientur, diligenter cauent.

MISSIO NICKELSBVRGENSIS.

NICKElsburgi, quod Moraviae oppidum est, annos iam aliquot, magno cum rei Christianæ adiumento nostri versantur: oppidum enim ipsum (id quod proximis litteris ad vos est scriptum) vniuersum iam in Ecclesiæ Rom. fidem venit; sed ex alijs vicinis locis multi, numero centum, & sexaginta ad veritatem sunt conuersi. Vir clarus, & honestus heres Flaccianorum infectus, cum vxore in ijs partibus duisset, oppidanorumque animos turpi vitæ consuetudine plurimum offenderet, ad catholicam religionē tandem traductus, singulari cum pietatis exemplo viuit. Mulier heretici cuiusdam viri clarissimi filia, cum Nickelsburgi a patre homini illic nobilissimo collocata esset, sexto mense fidem orthodoxam suscepit: quam cū pater nuptum collocauit, nulla vñquam ratione fieri posse gloriabatur, ut filiæ Papistarum religio persuaderetur. Quidam vir doctus cum studio cognoscendæ veritatis

veritatis maximam Germaniae partem peragrasset, omniaque apud hereticos nullis nixa fundamentis nutare animaduerteret, tandem Catholicam veritatem est complexus. Matrona quedam honesta Lutero addicta, cum in morbum periculoso incidisset, eoque ipso in morbo de Luterani ministri manu communionem suscepisset; ad extremum paullo antequam spiritum emitteret, cum Ecclesia in gratiam redijt. Cum noster Sacerdos in cæmeterio mulieri filiolum gestanti occurrisset, quæsiuit num puer baptizatus esset; cuque Patris metu, quod is Anabaptista erat, puerū adhuc baptismi gratia priuatum cognouisset, Parocho, ceterisque quorum id intererat, conuocatis, puerum illico fonte sacro lustrauit. Consuetudines permultæ vel prævæ abrogatæ, vel rectæ sunt institutæ. Nam cum festi dies ludis, obscenisque saltationibus celebrarentur, magna nostri Patris contentionе, multis nobilibus viris renitentibus, omne ludicrum, ac saltatio ijs diebus, Principis edicto, sunt sublata. Neque minore cum difficultate impetratum est, ut quibus diebus Ecclesiæ interdicto prohibemur, ijs carne non vescerentur; adiunctaque octo talerorum multa est, si quis Ecclesiæ præcepto audiens non fuisset. Qua quidem in re illustre fuit fidicinum duorum exemplum, qui cum Iudeorum sponsalibus carnes comedissent; publica mox pænitentia scelus illud in cæmeterio expiarunt. Olomucensis Episcopus cum in ea ciuitate Confirmationis sacramentum contulisset, confirmati sunt hominum circiter millia quatuor. Idem templo octo, aras nouemdecim rei diuinæ peragendæ designauit: que tē
pla

pla ipsi postea ciues preciosis muneribus exornarunt;
aliqui etiam facella in ijs sua pecunia ædificarunt;
vnus nostro templo sacrum multorum coronatorum
calicem donauit; nonnulli etiam bonorum suorum
partem legarunt. Hæc de NicKelsburgensium conuer-
sione, pietateque fama cum omnes Germaniæ partes
peruaderet, Carolum Austriæ Archiducem impulit,
vt ab Imperatore in Stiriam rediens iter flecteret Ni-
cKelsburgum, vt ea, quæ auribus audierat, oculis no-
sceret; itaque cum omnia diligentissime scrutatus ej-
set, affirmauit præsentis fructus magnitudine victas
cogitationes suas. Porro quantum his felicibus succes-
sibus Catholici, bonique omnes gaudent, tantum ex al-
tera parte Hæretici rumpuntur; omniq. ratione rem
perturbare conantur: quorum tamen conatus adhuc
egregia catholicorum virtute ad irritum ceciderunt.
Cum enim dynasta quidam hæreticum concionatorem
ex Austria secum in eam urbem adduxisset, domique
suæ suggesto excitato synagogam instituisset, popu-
lus ob eam rem incitatus arma cœpit, ac ni mature is-
rabulam ablegasset, vtique populi manibus fuisset di-
sceptus; quo factò multorū audacia, qui idē tentabāt,
repressa est. Principis soror semina opulentissima, vi-
dua, & sine liberis, hæreticorum tamen erroribus
maxime addicta, fratri summe catholico pollicita est,
eum se, filiosque eius bonorum suorum hæredes insti-
turam, modo nostros ille NicKelsburgo expellere; ad
quæ optimus frater ita respondit, vt diceret suam se
religionem, societasque Patres venales non habere;

neque

neque se eum esse, qui vel totius orbis mercede proposita, Deum O.M. vt offendat, adduci possit.

MISSIO VRATISLAVIENSIS.

VRatislavia Silesiae Metropolis est, in qua urbe annos iam quinquaginta haeresis dominatur: eò Episcopi, canonicorumque rogatu profecti de nostris aliquot rem christianam plurimum promouerunt. Ad Ecclesiam catholicam sunt adiuncti viginti, ad unam vero speciem rediere quindecim. Sub Paschatis dies confessionum numerus fuit trecentarum quadraginta octo; in his generales multæ, aut duodecim, quattuordecim, sexdecimue annorum: decem etiam ex vicinis haeticorum locis unius confessionis causaverunt: ceteris autem anni festis præcipuis triceni, aut quadringeni solent confiteri. Ad Moniales, quæ in Silesia inter tot haeticos omni auxilio destitutæ degunt, priuatæ habitæ sunt conciones: Golgoniæ etiam, Prælectorum oratu, duorum monasteriorum exceptæ confessiones, & ad catholicos, qui ibi versantur, concio habita, magna vel ipsorum haeticorum approbatione. Itaque catholica religio popularis iam esse incipit, ac liberius homines ad conciones conueniunt: quæ etiam frequentia cernitur, cum nostri quæstiones de præcipuis fidei orthodoxæ capitibus, casibusque conscientie explicant; quæ scholæ non catholicorum modo, sed etiam haeticorum multitudine celebrantur. Sed videlicet dæmon non quiescit, multæque per suos ministros, ac satellites nostris paratur insi-

infidice, quas adhuc omnes Dei beneficio, & egregia catholicorum in nostros voluntate superarunt.

MISSIO LEITHOMISLIENSIS.

Leithomisiij messis hoc anno letissima fuit: ad ecclesiam aggregati plurimi, atque hi, ut proxime scripsi, ex rudibus, plebeisque hominibus; propterea quod docti, ac nobiles alius alij impedimento est. Sub ferias Resurrectionis communicarunt ad numerum quinque millium; quoru aliqui, cum catholicos Sacerdotes non haberent, multos annos eo sacramento caruerant: alij à multis passuum millibus ob eam unam caussam veniunt, ut de nostrorum manibus christi corpus sumant. Parœciæ duæ præcipuae, ex quibus aliæ pendent nouem, de hæreticis sunt receptæ: in quibus, quoniam magna catholicorum Parochorum paucitas est, nostri eorum munera sæpiissime exercere coguntur. Domini à Pernstein familia vniuersa, paucis quibusdam exceptis, confessione expiata est; aliquot etiâ ex ea catholici facti. Ob has autem res Pichardi nostros pessime oderunt; Patriq. de nostris iter habenti unus ex ijs strictum gladium intentauit; qui tamē diuinitus liberatus est, posteaq. Pichardus veniam à Patre demississime petiit; nimirū propterea quod timebat, ne D. à Pernstein re cognita, grauius aliquid in ipsum statueret.

PRO-

PROVINCIA
BELGICA.



LIQVOT iam sunt anni, cum ex Belgica prouincia nullæ annuæ litteræ perscribuntur: sic enim Societatis causa cum publica implicata fuit, vt nisi veritate proposita, quæ publice premebatur, nihil de priuato nostrorum statu scribi tuto posset. Nunc quoniam paullum iam nostri respirare incipiunt, recuperatis omnibus fere Collegijs, ex quibus fuerant electi; opera & precium, credo, erit, vobisq. non iniucundum; si quæ nostris toto eo temporis spatio acciderunt, vobis bisce litteris exponam: vt neque superiorum annuæ fructu careatis, & maiore cum voluptate, uno quasi aspectu simul omnia cognoscatis. Prouincia Belgica ante bella ciuilia Collegijs septem constabat, Louaniensi, Duacensi, Audomarensi, Traiectensi, Brugensi, Cameracensi, Antuerpiensi, & una Probationis Domu Tornacensi. Sociorum in ea numerus fuit circiter centum nonaginta. Ortis autem bellis, nostrisq. omnibus hæreticorum factione pulsis; Prouincia pene dissipata est, duobus tantum collegijs relictis Louaniensi, & Audomarensi. Non ita post, cum res catholicorum melius ire cœpissent, nostri suis locis fere omnibus, vnde fuerat expulsi, restituti sunt: itaq. habent iam nostri collegia quinque Louaniense, Audomarensi, Traiectensi, Duacense, & Probationis Domu Tornacensem; quibus, quemad.

ad.

admodum alias scripsit, anno superiore collegium Leo-
diense adiunctum est: his adduntur Missiones duæ;
altera Valencenas in Hannonia; altera Cortracum in
Flandria. In ijs versantur centum quadraginta, in Lo-
uaniensi decem, in Duacensi octo, & viginti, totidem
in Audomarensi, in Traiectensi undecim, in Leodiensi
nouæ, & viginti, in Domo Probationis Tornacensi octo,
& viginti, uita decessere octo, & viginti: pro quibus
adsciti sunt in Societatem quatuor, & triginta. Anno
1577. cum P. Provincialis ex Provincia Rhenana,
quam eo anno visitauerat, Louaniū venisset, omnesq.
Belgij ordines ad defectionem spectare videret, audi-
tis Patrum sententijs, mature sibi de nostrorum re-
bus cogitandum putauit. Ac primum, quoniam pro-
uidebat difficillimā fore in posterum inter nostros com-
municationem, Provincialiam totam duas in partes di-
uisit, Collegia Brabantiae finitima Rectori Louaniensi,
qui Viceprovincialis erat, committit; reliqua Arte-
sia sibi reseruat, deinde omnibus mandat, ne suum lo-
cum de serant, neque aliqua iusurandi religione, ci-
uiliq. actione implicari se patiantur: sed integros se ad
res spirituales procurandas seruent: quod si accidat,
ut publico consilio, vel aperta vi e collegijs pellantur,
claves collegiorū, rationesq. domesticas ijs magistrati-
bus tradāt, à quibus ejciantur. His mādatis acceptis,
nostrī tēpestatis illius motū ea ratione gubernarunt, ut
hæreticis dolori, catholicis exemplo, omnibus admirā-
tioni essent. Hæretici, cū statibus nobis stare ipsi non
possent, ex hac nostrorum equitate occasionem arri-
pientes nostrum nomen in inuidiam apud populos

vo-

vocandi, rumorem spargunt, Iesuitas cum hostibus
(sic enim Philippum regem, regiosque nominabat) de
urbibus prodendis consensisse; atque ad eam rem ma-
gnam telorum, ac tormentarum pulueris vim in Colle-
gia nostra clam importari, militesque occultari apud
nos, ut nocte urbes inflamarent. His vocibus instincta
plebs saepe in Collegium subito irruere, secretissima
quaque loca scrutari, aliaque infanda per illam licen-
tiā exercere: omnes præterea Collegiorum portas
lapidibus obstruunt, uno tantum aditu reliquo; hunc
etiam à militibus noctu diligenter custodiri iubent.
Gliscente in dies rebellionis furore, proponitur edictū
ab omnibus ciuitatibus, ut iurent omnes se in ea cauſa
totius Belgij auctoritatem, et confessionem fecuturos
neq. sibi separatim à suis ciuitatibus consiliū capturos;
ad idem iuriandum nostros adigunt; ac ni pareant, ho-
stiū se numero habituros confirmant. Nostri videlicet
sineulla exceptione negare, aliquā se ob hanc cauſam
iusiurandi religionem suscepuros; quod à Societatis
legibus, institutoque abesse dicent, ut se ad civiles
cauſas, bellaque admiscerent. quare publici hostes in-
dicati, ex omnibus ciuitatibus exterminantur. Qua in
re illud sane certissimum fuit diuinæ in nos prouiden-
tiæ argumentum; quod in tanto metu, tam flagratiibus
omnium ordinum in nos odijs, tantaque licentia, & im-
punitate gladiorum, nullus nostrorum sit occisus, aut
vulneratus. Nostri igitur, à ciuitatibus electi, pars in
varia Belgij loca dispersi, magno cum patiētia, & con-
stantiæ exemplo, tamen proximorum salutis studium
non omisere, reliqui patria profugi in Galliā, Germa-
niā, & que

niamque peruererunt, exceptiq. sunt à Socijs insigni
cum caritate,dolorisq. significacione. Hæc de Prouin-
cia in vniuersum: nunc quæ nostris in singulis collegijs
acciderunt,breuiter exponam.

COLLEGIVM TRAIECTENSE.

INitium pellendi è Belgio societatem Traiecti fa-
ctum est,qua in ciuitate nostri tum ob collegij tenui-
tatem,tum ob militum; qui domi custodes positi erant
insolentia,multa, & grauissima passi sunt. Hi.n. per
otium,& lasciuiam campanas sclopis ferire,fenestras
crebris lapidationibus petere,funesq. scloporum ar-
dentes furtim nostrorum maribus per ludibrium in-
serere: tantumque odiū societati suis criminacionibus
hæretici conflagrunt,vt vel ipsis pueris nostrum nomen
esset odiosum,passimq. probra,& maledicta in no-
stros audirentur. Ad extremum cum iuriurandum in
verba ciuitatum propositum esset,ceterisq. omnibus
iurantibus,nostri soli id recusarent; Gubernator,qui
à ciuitatibus erat impositus,edixit,vt nostri vrbe ex-
cederent: huic edicto Senatus,cum seditionem time-
ret,intercessit: ille iratus quoescunque,in ea re sibi
aduersari intellexit,senatu mouet: Consuli etiam no-
stram caussam enixius agèii colaphum impingit;cete-
ros ne eadem conentur,deterret. Inde in Collegium
venit,nostrisque omnibus conuocatis,docet nos vnos
contra leges,omniumque exemplum iuriurandum
recusasse; hostes breui ad vrbum oppugnandam ven-
tueros demonstrat: nos autem bello inutiles,neque

O ad

ad obsidionem sustinendam satis à re familiarī instrūctos: proinde vrbe decendant, suaque omnia ante tertium, quartumue diem exportent. Itaque nostri Traiecto prid. Kal. Mar. 1578. pulsi, Leodium, (quæ Dei gratia est) incolumes omnes nauiperuenerunt. Non ita multo post, Regij ad oppugnandum Traiectum cum omnibus copijs conueruntur: cumque post grauem, & longam obsidionem anno 1581. vrbe tandem potiti essent; Princeps Parmensis exercitus imperator Traiectum nostros reuocauit, & in pristinas sedes, possessionemque restituit: cumque intellexisset collegij redditus valde tenues esse; egit cum Pontifice max. ut dux præbendæ canonicæ adiungerentur. Interim nostri ciuitatem multis cladibus exhaustam, direptionibusque spoliatam, quibus possunt rebus recreare student: ciuiumque animos in se multo magis beneuolos, ac liberales euersa ciuitate, quam florente, experiuntur: extructum est enim eleemosinis sacellum, multisque muneribus ornatum, in quo singulis dominicis diebus quinquaginta, aut sexaginta communicant, festis vero celebrioribus, ducenti, trecentie; alijsque præterea societatis ministerijs opera Deo egregie nauatur.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

Antwerpiae quoque nostri plurimum ab hereticis vexati sunt; qui cum nostros aperte nollent vrbe pellere, id agebant, ut saltem tot vexationibus

bus vicii , aut pertæsi sua sponte aliquando decederent : ubi nostros nullis iniurijs adduci posse vident , ut ciuitatem deserant , tandem ad vim apertam descendunt . Itaque xij. Kal. Iunias , pridie Pentecostes , milites , qui Collegium custodiebant , unicas portam , quæ reliquis omnibus obstructis , ad schiarum templiq. adiutum relicta erat , occludunt , nec chempiam ingredi patiuntur . Ipso autem Pentecostes die plurimis catholicis ex superiorum temporum consuetudine , ad nostrum templum confluentibus , foresque clausas reperientibus , multus ea de re per urbem sermo ortus est ; Interim alter consul catholicus adueniens , iubet nostros illius diei solemnia tuto peragere , quare nostri de more , & sacra celebrarunt , & concionem habuerunt . Quibus absolutis , hora circiter decima , cum quidam catholici , vt fit , quærerent , an nullum præterea sacrum reliquum esset factum ; heretici , qui armati templum occupauerant , clamare incipiunt , nullum in posterum sacris locum fore , statimque in sacrarium impetum faciunt . Noſtri fores obiiciunt , ac sese in interiora Collegij recipiunt , atque in aula congregati , sese ad mortem pro fide catholica , iustitiaque oppeten- dam inuicem cohortantur . Heretici fractis foribus in Collegium , & in aulam magno cum strepitu irrumpunt ; iubentque nostros urbe quam primum excedere , fore alioquin vt à populo concidantur . Noſtris egredientibus venit in mentem Eucharistiæ sacramenti , Oleique sacri , quæ in Hereticorum manibus relinquere enim uero maximum ne-

O 2 fas

fas arbitrabantur: itaque Sacerdos unus confestim ad templum contendit, ut ea sumeret. Is cum in sacra-
rium venisset, tum quidem à militibus, qui tem-
plum obsidebant, ingressu probitus est: paullo post ta-
men cum rediisset sic paratus, ut vel sacrum Christi
corpus ab hæreticorum iniurijs eriperet, vel ibi certe
vitam profunderet; tametsi multo plures quam an-
te a hæretici eò conuenerant, nullo tamen prohibente,
templum ingreditur, sanctissimo que sacramento palā
adorato, cum sacras Hostias ob multitudinem, ac fe-
stinationem consumere non posset, secum una cum sa-
crato oleo per confertam hæreticorum multitudinem
exportauit. Quæ postea cum diligentissime inquirerent
hæretici, omniaque euerterent, nunquam inuenerunt,
cum tamen sèpe manus in ipsas pixides iniecissent. Ho-
ra duodecima nostri septi armatis per urbem, ingeren-
tibus passim probra militibus, ictusque intentantiibus
ad Scaldem (fluuij nomen id est) deducuntur, ut Me-
chliniam auehantur, ibi varijs contumelijs, conuitijs
que excepti à nautis, ad horam decimam in naui ex-
spectarunt, dum ex alto se maris aestus incitaret. Sub
vesperam veniunt ad nauim è præcipua nobilitate ci-
ues catholici cum fide publica, decemque militibus
quos custodiæ caussa nostris impetraverant; qui tamē
milites, propterea quod hæretici erant, & insolentissi-
mi, nostrorum calamitatem auxerunt potius, quam
leuarunt. Igitur cum hoc comitatu nostri Antuerpia
ad solis occasum cum soluissent, prima luce Mechli-
niam attigerunt: statimq. naui egressi in cubiculum in-
trudūtur. Ad eos post prandiu Pensionarius, Consul,
& Dux

¶ Dux militum ingressi, Gubernatoris litteras ostenderunt, quibus iubebat nostros quā primum ex vrbe liberos dimiti: verabat autē vllū comitatū, aut auxilium ijs præstari: id videlicet erat nostros certissimæ morti obijcere; propterea quod sexaginta ea nocte erant egressi, vt nostros in itinere occiderent, atque ad idem facinus Mechliniæ trecenti se armasse dicebantur. Rogarunt nostri Pensionarium, vt saltem Mechliniæ sibi tandem liceret subsistere, dum per dispositos equos Antuerpiam aliquis recurreret, qui certius aliquid de comitatu perferret. Cum id non impetrarent; nostri, causa Deo commendata, se ad iter accingunt. Paullo antequam egredierentur, aduenit Antuerpia quidam, mandata habens ab Archiduce Mattheia, vt nostri nocte illa Mechliniæ essent; die sequenti Louanium mitterentur, datis, qui eos præsidij causa deducerent, equitibus quinquaginta, Sclopetaij viginti. Gubernator Louaniensis certior de nostrorum aduentu factus, equites ducentos, pedites totidem, ad duas leucas obuiam misit. Ipse nostris Louaniam ingredientibus præsto fuit cum militibus, duabusque, nostrosq. summo cum honore, gratulatione, tubarumque cantu excepit, & ad Collegium usque prosecutus est.

DOMVS PROBATIONIS
Tornacensis.

N Eque Tornaci, proposito similiter iusurando,
defuit nostris constantiam ostendendi occasio.

O 3 cuius

cuius laudis socij, & emuli non nulli ex Clero, prius quam ad iurandum compellerentur, urbe excesserunt; certi partim admirabantur, partim inuidebant; multi etiam viri, feminæque de nostra laude solliciti, noscas hortabantur, ut in sententia persisterent, neque ipso um commiseratione, aut causa quidquam de constantia remitterent. Itaque cum Gubernator oblatio aliquoties insurando nihil à nostris impetrare posset, ea de re ad Principis Auriaci aulam relatum se dixit: respons. que est, ut si populus Tornacensis nostros pateretur: ipse arbitratus suo nostros vel retineret, vel ejceret. Hic multorum pro nostris retinendis studium, & contentio enituit: nam Episcopus exacta iam ætate vir, Decanus, & yniuersum Canonicorum collegium, Magistratus insuper, alijque ciues nobilissimi Gubernatori (iuuenis is erat annos sex, & virginis natus) pro nobis supplices fuere: quod etiam cum matronæ nobilissimæ facere vellent, à nostris deterrite sunt; quod qui Episcopi, totiusque Cleri religionem, & publicam ciuitatis maiestatem spreuerisset, multo futurus obstinior aduersus preces muliebres videretur. Magistratus, ubi hæc retinendi nostros ratio non successit, aliam aggreditur; atque vel promissionem aliquam, iuramenti loco, à nostris extorquere contendit. Nostri Magistratui de benevolentia, & studio in se retinendis gratias egerunt: conditionem respuerunt; quod promissio non multum à iuramento differre videretur, neque ipsi vellent quocunque nomine in illius causæ societatem trahi. Hac nostrorum constantia incitatus Gubernator edixit, ut nostri omnes

omnes ante noctem discederent, itaque iij. Non. Iunij 1578. Tornaco nostri expulsi ad vicina collegia confugerunt; inde in Galliam missi sunt. Anno autem 1581. cum Princeps Parmensis iij. Kal. Decembris Ciuitatem receperisset; nostri in antiquam possessionem multis rebus auctam, & amplificatam restituti sunt. Nam facellum nostris usibus accommodatum exstructum est, & hoc anno Paschatis octaua à Cammeracensis Episcopi suffraganeo consecratum; ac litteræ ab Ecclesia cathedrali impetratae, ut in eo sacramenta administrari, aliaque ex instituto exerceri libere possent.

COLLEGIVM BRVGENSE.

BRUGIS, præter ea, quæ cum alijs Collegijs fuere communia, proprijs etiam molestijs nostri vexati sunt. Milites enim per lasciviam plumbeas glan-des sclopis temere in Collegium coniugiebant, aut subito irruentes mortem strictis mucronibus minabantur, domesticam etiam supellecilem varie cinoxabant, diripiebantque. Quadragesimæ quoque tempore carnes in Collegium cum intulissent; criminati sunt postea, domi se nostræ opipare instram carnis mensam reperisse; unus tamen ex ijs repertus est, qui conscientia forte permotus, vociferantibus illis, contra clamaret illa omnia, quæ socij dicebant esse falsa. Nostri autem inter has molestias, vitæq. pericula multis menses versati, tan-

O 4 dem

dem senatus decreto vrbe exire compelluntur: cumq;
peterent vii tuta exeundi facultas scripto aliquo con-
cederetur; videlicet ut sic perditis hominibus nostros
occidendi maior licentia, & impunitas esset: egerunt
tamen Magistratu insciente viri nostri amantissimi, ut
exeundi potestas schedula senatoria daretur, itaque
omnes incolumes Dei beneficio Audomarum perue-
nerunt: duo tamen Brugis substitere, alter Rector,
qui cum Brugensis esset, sine suspicione inter suos ci-
uies versari posse videbatur; Sacerdos alter, catholi-
cis postulantibus, ut ipsorum confessiones audiret.

C O L L E G I U M D V A C E N S E.

DVaci res improborum quoruñdam seditione
paulo turbulentiores fuere: omnia tamen ad
Dei gloriam, nostræq. societatis existimationem fe-
liciter cesserunt. Cum enim saepe solemne illud iusu-
randum nostris fuisse oblatum, nostrique semper id
constanter recusasset; in suspicionem proditionis ve-
nere; custodesque singulis noctibus Collegij foribus
poni cæpti sunt, verbo ut à nostris populi manus, ac
tela continerent, revera ut nocturni temporis quie-
tem turbarent; dataque occasione in domesticam
supellecilem manus iniicerent. Cum autem noctes
plures hisce molestijs nostri traduxissent, neque ta-
men de suis in proximos ministerijs quidquam inter-
diu omitterent; eorum patientia, & constantia ho-
stium crudelitas, & auaritia fracta est, custodesque
reuocati. Hisce de causis quietas res Quaci fore in
reli

reliquum tempus homines existimabant, cum ecce su-
bito motus longe maior quam antea coortus est: xvi.
enim Kal. Nou. 1573. cum pridie eius diei nocte non
nihil tumultuum esset; prima luce plebs armata in
forum venit, ac Magistratum circumfisit, decretum-
que scribere cogit, ut omnes Jesuitæ, & aduenæ ca-
tholici, qui ante tres menses Duacum confugerant,
vrbe pellerentur. Hoc decreto per vim extorto, ma-
gno cum tumultu milites ad collegium aduolant, no-
stroisque offendunt rerum omnium ignaros in scholis
de more versantes: recitant in area decretum, ut
nostrî ante horam quartam (decima tunc erat) vrbe
profisciscantur: quærentibus nostris, cuius auctorita-
te, quaue sui culpa ipsi vrbe ejcerentur; responde-
runt, eius decreti auctorem populum esse Duacensem,
sic illi visum nullam aliam præterea causam queren-
dam esse: cumque nostri tempus Magistratum docen-
di peterent, vel certe, ut publicum aliquod suæ in-
nocentie testimonium tribueretur; nihil impetra-
runt: auditaque illa una vox, excedendum est. Hac
vi conspecta nostri è scholis exeunt, & ad discessum
se comparant, magna discipulorum commiseratione,
& lacrimis, qui vix à suis magistris poterant diuelli.
Hora duodecima venit ad Collegium quidam ex Se-
natoribus satisfaciendi causa, qui demonstraret,
nihil eorum publico senatus consilio fieri, sed esse non
nullos, qui priuatim plus apud plebem possint, quam
ipse magistratus; eorum opera turbas illas fuisse con-
citatas, neque à magistratu coerceri posse, cumque
etiam tum sedare tumultum conaretur, nihil profecit,

Præ-

Prætor vero cum idem tentasset; tantiū non à multitudine est interfactus. Paullo post altera manus militū ad Collegium venit, simul clamor exire iubentium instabat: quare Patres cedendum in præsens furori esse rati, omnes discesserunt, duobus tantum magistratus permisso, ad rerum domesticarum custodiam coadiutoribus relictis, indignantibus plurimum militibus, ut qui nostram supellectilem, animo, ac spe iam deuorauerant. Nostros egredientes circumstabant milites armati amicorum congressus, atque extrema verba prohibentes, passimq. probra coniuentes. Duo co itaque expulsi nostri ad vicinum pagum peruerterunt, ubi à Parocho magna cum charitate excepti, apud eum nocte illa humi feno substrato quieuerunt, magna cum animi letitia Deo gratias agentes, quod pro eius nomine digni fuissent contumeliam pati. Postero die re diuina à Sacerdotibus facta; à reliquis vero Christi corpore sumpto, aliis aliò ad vicina loca dgressi sunt. Magistratus enim Vniuersitatis, Rectoris, Decaniq. rogatu nostros rogauerat, ne longius ab urbe discederent, quod sperarent fore, ut breui compositis rebus, nostri suis locis restituerentur: itaq. factum est. Cum enim nostrorum discessu scholæ, que ante a florebant, concidissent, numerusq. auditorum in dies minue retur, tametsi nostrorum loco Doctores alij suffici erant, timere cœperūt viri prudētes, ne paullatim tota Academia dissolueretur: itaq. cum ea de re in consiliū venissent, datur negotium Vniuersitatis Cancellario Theologiæ professori, alijsq. duobus iuris doctoribus, ut magistratum doceant quantum detrimenti Academia

mia ex nostrorū discessu cāperit; vt proinde is de nostris reuocādis mature cogitaret. Magistratus respon-
dit omnino se inuitō nostros vrbe pulsos, nīhilque sibi
magis cordi esse, quam vt iij quam primum reuocētur:
sed Magistratus potestatē in ea re seditionorū quo-
rundam improbitate oppressam esse. Non multo autē
post cū magistratus armis ius suum recuperare cona-
retur, ac multitudinem militū cogeret; seditionis aucto-
res partim interfecit, partim in exsiliū expulit, ceteris
lege obliuionis lata veniā dedit: adacti sunt tamen om-
nes, vi iurarent se magistratui deinceps audiētes fore.
Cū igitur magistratus ius suū obtinuisset, statim decre-
tū illud, quod à plebe per vim fuerat extortū, reuoca-
uit; ac nominatim nostros per publicum præconē suis
sedibus, atque muneribus restituit. Itaq. nostri tertii
postquam electi sunt hebdomada, magna omnium gra-
tulatione Duacum reuerterunt. Neq. tamen hæc læti-
tia diuturna fuit, sequenti enim anno 1579. pestis coor-
ta plurimos extinxit, in ijs etiam sex de nostris. Hoc
autem tempore Duaci versantur, vii dixi, octo, & vi-
ginti, scholæ Theologie, Philosophie, Humanitatisque
magna auditorū frequentia celebrantur. Confitētum
itē magnus est numerus, ac singulis annis ducenæ circi-
ter generales confessiones exceptæ sunt: instituta etiā
sodalitas duodecim Apostolorū nomine, cuius sodales
singulis Apostolorū festis, confessione, & cōmunione
expiantur. Sodalitas quoq. B. Virginis sodaliū pietate
maxime floret, sic vt uno anno nostræ societati dederit
ad triginta, omnes vel Sacerdotes, vel artium magi-
stros, hæc sodalitas nuper indulgentijs etiā aucta est.

COL-

ANNA

COLLEGIVM CAMMERACENSE.

CAmmeraco, quoniam ciuitas est imperialis, non
Caperta vi, sed dolo, ac fraude Gubernatoris Socie-
tas expulsa est; qui si nostros palam ex ciuitate libe-
ra eiecssent, verebatur ut hominum inuidiam sustinere
posset: insidijs agendum sibi putauit. Itaq. initio Colle-
gium nostrum equitum turmæ attribuit, quod existi-
maret fore, ut nostri rei indignitate, aut impatientia
commoti, sponte ciuitate decederent. Cumque nostri
quererentur militum strepitū, & conturbanio religio-
fæ, & scholasticæ disciplinæ ordinem perturbari, blan-
dis quibusdam in speciem verbis, rem totam eludebat.
Paucis post diebus misit quemdam ex suis familiari-
bus, qui nostros suo nomine hortaretur, ut propter ci-
uitatis periculum, & annonæ caritatem ad breue tem-
pus urbe cederent, cui nostri per eundem hominem lit-
teras scribunt, quarum hæc erat sententia, nihil se
vnquam contra publicum ciuitatis bonum, atque otium
cogitasse, neque in posterum Deo iuuante cogitatueros,
neque se quæuis pericula, famisque incommoda com-
munis salutis caussa recusare; id vnum petere, ut sine
diuexatione Societatis munera exequi libere pos-
sint. Hoc responso Gubernator multo magis exarsit,
iraque frendens, iam equidem, inquit, efficiam, ut sup-
plies discedendi petant potestatem: iussitque statim
equos in Collegij scholis stabulari; simul milites, qui
nostris erant attributi, insolentissime domi agere, om-
nia dissipare, atq. euertere: ac ni daretur, minis extor-
quere, raptis etiam Collegij clauibus promiscue quo-
cunque

cunque in Collegium introducere. Quæ cum nostri viderent, non exspectandum sibi existimarunt, dum res ad vim apertam deduceretur, itaque Cammeraco profecti Duacum se contulerunt.

COLLEGIVM AV DOMARENSE.

PArum abfuit, quin Audomaro etiam Societas pelleretur, nos troisque senatui ad ipsorum expulsionem incumbenti, nihil aliud nisi populi fauor, & constantia eripuit. Cum enim similiter atque in alijs ciuitatibus iusurandum exigeretur, nostrique quinques delatum semper respuissent; senatus nostros rebelles, patriæque hostes iudicauit. Damnatos pœnam sequi oportebat, vt vel vrbe eicerentur, vel in carcerem coniecti ad Principis Auriaci libidinem extremo suppicio afficerentur. Pridie eius diei, qui ad discedendum nostris erat assignatus, ciues duodecim magistratum adeunt, atque vt nostris in vrbe remanere liceat, petunt. Magistratu ea de re deliberante, ciues amplius trecenti superueniunt, magna que cum libertate à Senatu immunitatem pro religiosis postulant: Senatus rei nouitate turbatus, edictum, quo nostri pellebantur, reuocauit. Catholici vbi eo facto senatum, atque hereticos perculsos videt, instandū perterritis rati flagitant à magistratu, vt iusurandi Syngraphæ sibi reddatur; redditas rogo exstructo in foro incēdūt, seque sacramenti religione solutos profitentur, sibi consilium deinceps capturos, neq. magistratui obtēperaturos; & cum Grauelingæ gubernatore se coniungunt.

gunt. Gesta sunt hæc 3. Idus Aprilis festo die S. Erchenbodoni, cuius reliquæ cum essent in Cathedrali Ecclesia per eos dies expositæ, id omnes sancti ipsius meritis acceptum retulerunt. Versati sunt igitur hoc anno, quemadmodum demonstratum est, in Collegio Audomarensi octo, & viginti, mortui duo, in his Rector Collegij, qui cum Grauelingam à Gubernatore vocatus iuisset, ibi decessit: eius corpus Audomarum reportatū in templo nostro positū est, eiusq. exsequijs Episcopus, Abbas S. Bertini, ac plurimi viri nobilissimi interfuerunt. Scholæ crescunt in dies magis, numeranturque classibus quinque Auditores quadrangenti. Instituta est etiam Romanis legibus sodalitas, in quam viri nobilissimi tum ecclesiastici, tum seculares, ipseque Episcopus adscribi voluerunt. Sacra menta in nostro templo frequentantur à plurimis, eorumque, qui singulis dominicis diebus communicat, numerus est trecentorum, quingentorumque: festis vero celebrioribus mille: die autem Circuncisionis, Christi corpus sumpserunt ad duo millia. Idem, aut maior etiam ad confessiones concursus est; omnes enim qui ex Flandria electi ad hanc urbem configiunt (quorum nuper mille, & octingentæ familiae numeratae sunt) nostrorum opera uti fere consueuerunt; itaque generales confessiones auditæ sunt ad trecentas, quarum gratia viri graues aliquot à millibus passibus viginti aduenerunt: unus etiam de nostris sacerdos superiore quadragesima trecentas circiter exceptit decem, viginti, & quadraginta annorum confessiones. Horum autem qui Flædia profugi sunt, insignis pie tas

tas, & religio est: Matrona enim quædam nobilis, ac prædiues cum ingētes possessiones, & castra quattuor hoc bello amisisset, gratias Deo maximas agit, quod curis temporarijs soluta; vni iam Deo libere vacare possit. Ad fidem catholicam rediere septem, ex eorum numero miles quidam Germanus fuit, qui acceptis vulneribus plurimum lœtatur, quod ijs ad veritatis viam sit reductus. Adolescens unus patre natus Anabaptista ritu solemni, magnaq. hominū frequētia baptizatus est, aliquot etiam hæretici cum capitibz damnati ad supplicium ducerentur, ad catholicam religionem conuersi sunt.

COLLEGIVM LOVANIENSE.

Ciuitas Louaniensis, initio quidem communī furore impulsa, se cum ceteris Belgis coniunxit, portasque Regijs clausit; postea tamen tutam pacem impio, & periculo bello præferens, prima omnī, legatis ad Principē Parmensi missis, pollicita est imperio Philippi Regis obtemperare itaque ab armis quies fuit; quanquam hæreticorum insidijs, quibus omni ex parte cingitur, frequentissime petita est, ac semper diuinitus seruata. Pestilentia laboratum est: ea ex colluione hominum ex vicinis oppidis confuentium orta, uno anno amplius hominum quadraginta millia absumpsit. De nostris duodecim obiere: Pestilentiae malū maxime Collegiū sensit, quod pene dissolutum est, decem tantum ex omni numero Louanij relictis, qui ciuibus in tot miferijs præsto essent. Hic licet

licet exhausta ciuitate, omnium rerum inopia præmatur, munera tamen societatis singulari cum fructu, ciuiumq. consolatione exercet. Conciones tum Domi in sacello nostro, tum in D. Petri templo habentur, & Gallicæ ad milites cohortationes, quibus aliqui à blasphemandi consuetudine, concubinisque sunt abduicti. Nosocomia, publicæq. custodiæ confessionis caufa frequentatæ, exercitia spiritualia studiosis plurimis, nec non Ecclesiasticis, Principibusq. viris tradita. Supplicationis in nostro sacello aliquoties indicta; obseruatum que est à multis, ijs diebus, quibus Lirana Ciuitas Regi se dedidit, hostesq. Louanio sunt repulsi, precum statione in nostro templo fuisse, quarum vi illa postea sint consecuta.

COLLEGIVM LEODIENSE.

Collegium Leodiense inter tot tumultus diuino potius, quam humano consilio constitutum est. Primus in eam curam erigendi collegij Robertus à Bergis Episcopus Leodiensis incubuit: quo vita functo Gerardus à Croesbeck Cardinalis successor rem plurimum promovit, prioratibus duobus ad collegij foundationem impetratis, tandem Ernestus Bauariae Ducis frater, cum esset Episcopus Leodiensis, negotium confecit; qua in re quos maxime nobis aduersarios fore suspicabamur, eos maxime laudatores, & fautores sumus experti. Ciuitatem nostri amantissimam habemus, quam benevolentiam tum honorificis in Societate decretis, tum nuper in trium de nostris obitu, qui

qui cum pestilentia essent extinti, decreuit ciuitas,
vt in duabus, & triginta parœcijs, ac septem Canonico-
rum Collegijs (tot enim Leodij sunt) pro eorum ani-
marum expiatione Missæ, ac ceteræ precationes fie-
rent. Nostrum templum maxima hominum frequen-
tia celebratur, ac dominicis diebus Sacramentum Eu-
charistie sumunt ad quadringentos, qui numerus fe-
stis præcipuis duplicari solet, interdum etiam mille
numerantur. Populi autem in nos studium id vel ma-
xime indicauit quod cum Mosa flumen extra alu-
eum egressus, vicina Collegio loca inundasset, sexto
tamen Circumcisionis die populus scaphis, aut longo
circitu ad Collegium contendit: atque ab eo die, &
flumen decrescere, & calum clementius esse coepit,
quod à multis obseruatum, miraculo simile habitum
est. Paschatis die Ernestus Episcopus in templo no-
stro sacrum fecit, suæque familiæ Christi corpus di-
stribuit; cumque post sacrum in Collegium venisset,
varijs carminibus exceptus est à nostris, quibus ille
quasi gratiam referens duas imagines dedit precijs in-
gentis lapidibus preciosis intextas. Episcopus etiam
Vercellenensis Nuncius Apostolicus cum Leodium Co-
lonia venisset, ad nos diuertit, atque in templo nostro
re diuina facta, populo Eucharistiæ impertivit, disce-
densque in Lotharingiam vsque, patrem Provinciam
secum deduxit. Multi ex remotis locis ad nostrū
Collegium confessionis caussa confluunt, multique à
grauiissimis sceleribus sunt extracti: in ijs adducta ad
nos est mulier quedam, quæ ab religione, fideque ca-
tholica ad lutheranos primo, inde ad caluinistas, &

P

Anaba-

Anabaptistas defecerat, hæc nostris hortationibus cū Ecclesia reconciliata ad monasteriū rediit, in quo tanta cum laude perseuerat, vt suo exemplo ceteris ad virtutes præluceat: Vir autem, qui mulierem deceperat doloris impatientia sibi mortem consciuit. Adiuncta est Leodiensi Collegio S. Seuerini Residētia, in quo Pago Collegij prioratus est. Hic locus olim cædibus hominum, alijsque sceleribus infamis erat; ab eo autem tempore, quo nostri in eo habitare cœperunt, magna morū mutatio ostenditur, sic vt præcipuis festis trecenti communicent: festo autem Circuncisionis, amplius sexcentis Christi corpus datum est, nullusq. iam in eo pago hæreticus inuenitur.

MISSIO MOSCOVITICA.

Iohannes Basiliū, Magnus Moschouiae Dux Christianæ religionis cultor ille quidem, sed à Romana Ecclesia disiunctus, græciq. schismatis labe infectus cum plurimis, magnisq. cladibus acceptis, de pace cum Poloniæ Rege frustra sæpe egisset; legatum tandem ad Pontificem Maximum misit Thomam Seuerigenum, vt is pro suo munere, & in omnes Christianos Principes potestate sacrosancta, sese in eam pacificationem interponeret. Rem Pontifex libenter suscepit; ideo quod pacificandis duobus inter se potentissimis Regibus, alterum etiam cum Ecclesia reconciliatumiri speraret. Missus est huius rei caussa P. Antonius Possevinus (is, paucis ante diebus, è Suetica missione redierat) qui Pontificis Maximi nomine, & auctoritate, pacem inter illos Principes æquis conditionibus constitueret; simulque per eam occasionem curaret, vt Moschouie

Dux

Dux ad Ecclesiæ catholicæ gremium rediret. Cum his
mandatis, Moschoq. legato P. Posseuinus ad viij. Kal.
Aprilis, anno 1581. Roma profectus, ab omnibus ci-
uitatibus, quacunq. veniebat, honorificentissime exce-
ptus est, quem honorem tum sua ipsi sponte, ac iudicio
Præsides ciuitatum exhibuere, tum vero Pontificis
Maximi voluntate, & imperio; qui ea humanitatis fa-
ma, Moschorum animos Ecclesiæ Romanæ adiungere
cupiebat, quo facilior aditus (si qua vñquam occasio
sese ostendisset) sacro euangelio in eas regiones esset.
Seuerigenus certe in patriam reuersus, Pontificis Ma-
ximi liberalitatem, Italiæ splendorem, pietatemq. in
omnibus sermonibus ita prædicauit, vt ex ea re inui-
diā non paruam apud suos collegisse videatur: no-
strorum quidem congressu, quamdiu illi in Moschouia
fuerunt, prohibitus est; eaque de re ille per amicum se
se cum P. Posseuino aliquoties purgauit. Atque huius
quidem longissime peregrinationis, si nihil aliud, vel
ille fructus fuit maximus, quod per eā legationis spe-
ciem multi viri principes inducti sunt, vt in suis Pro-
vincijs multa, vel mala corrigerent, vel bona consti-
tuerent: disseminati etiam tum inter catholicos, tum
vero inter hæreticos pīj libelli: Græcijs præterea, Olo-
mutijs, Pragæ, alijsque in ciuitatibus pauperum Col-
legia instituta scholasticorum, quæ eo animis æquiori-
bus accepta sunt omnia, quod ijs Pontificis Maximi
auctoritas prætexebatur, qui etiam ad illa omnia con-
ficienda pecuniam liberaliter suppeditauit. Venetijs
ter ad inimum senatum cum Moschi legato P. Pos-
seuinus admissus, de Christi Opt. Max. fide propaganda

P 2 de

de Societatis nostræ instituto, deque Sedi Apostolica cura, quam in morum conformatiōnem confert, ea disseruit, quorum ipsi memoriam ad centesimum annum duraturam testati sunt. Cum vero discedenti P. Posseuino unus è principibus de Senatus auctoritate multa, ac preciosissima dona obtulisset: ea omnia sic ille respuit, ut diceret, id se unum summi beneficij, ac munieris loco petere, ut tot sacerorum locorum, in quibus sanctissimorum hominum reliquiae adseruantur, precibus apud Deum commendaretur: totoque Veneto imperio itineris duces, & laertia publice ijs præbita sunt. Vbi ad Carinthiæ fines peruentum est, præmisso in Moschouiam legato, P. Posseuinus Græcium ad Archiducem diuertit, quod ad eum à Pontifice Maximo mandata haberet; & Archiducissæ auream rosam eiusdem Pontificis nomine in æde maxima rite obtulit. Græcio Viennam profectus, cum sacerdotes duos, fratres totidem comites itineris adsumpsisset (neque enim Polonum, aut Lituanum aliquem in eam legationem admiscere visum est) Pragam venit ad iiii. Id. Maias: Pragæ, dum commendatitiæ à Cæsare ad Moscouiæ Ducem litteræ exspectantur; dum ea comparantur, quæ ad tam longinquam profectionem erant necessaria; dies octo substiterunt. Inde Vratislauiam, quæ Silesiæ Metropolis est, perreixerunt, qua in urbe perhumaniter tum à Präposito, viro de Societate optime merito, tum à Canonicis accepti sunt. Eodem Patrum nostrorum aduentu cognito, Episcopus Vratislaviensis Nissa sexaginta passuum millium itinere, coque perdifficili, salutationis caussa contendit. is cum Semina-

Seminario, quod sua pecunia Nissæ instituit, homines
è Societate præfici cuperet; neque tamen id fieri pos-
se intelligeret, præseriim cum nullū esset in ea ciuitate
Societatis Collegium, sex è suis alumnis de legit, quos
suo sumptu in Viennensi seminario aleret, vt eorum
opera deinde in ceteris instituendis viceretur. Interē
litteræ à Poloniæ Rege venerunt, quibus Moscho
legato fide publica potestatem dabant itineris per Po-
loniam faciundi, viæque Ducem Regni primarium vi-
rum adsignabat: quæ litteræ ideo minus necessariæ fue-
runt, quod Moschus, Praga Lubecam discesserat; in-
de Mari Baltico in Liuoniam transmissurus. Vra-
tislauia igitur Varsauiam versus cursum intenderūt,
ibique Regina Poloniæ salutata, Vilnam tandem ad
x viij. kal. Iulias peruenērūt. Rex erat eo tempore tū
in belli consilijs, tum in Christophori fratri Transilua-
niæ Principis luctu occupatus, cui sequenti die iusta
ritu solemnē facere cogitabat. Eum P. Posseuinus alte-
ro post die conuenit, deque suscepta profectione subti-
liter docuit. Is, licet totum sibi de pace consilium, ex-
que legatio inanis videretur, propterea quod Moschus
breui Liuoniam possessione cessurum diceret; atque illa
omnia ab hoste cogitata esse, vt ea ratione idoneū bellū
tempus eximeret: tamen in Pontificis Maximi pote-
state futurum se confirmauit: quo autem pleniorē re-
rum Moschouiticarum cognitione, scientiaque instru-
ctus in Moschouiam P. Posseuinus perueniret, auctor
ille fuit, vt secum Disnam, atq. Polotiam proficiscere-
tur, quo paucis diebus suis è Moschouia legatus era-
rediturus. Disna arx est in Alba Russia ex Polotiæ

P. 3 ruinis

ruinis ad Dunā, Disiamq. Fluuios abhinc annis quindecim constructa; Vilna quinq. circiter dierum itinere distans. Hic dum legatū opperiuntur, dies aliquot nostri supersederunt: quo tempore, ne diffluerent otio, munera Societatis in ipso exercitu exsequi cœperunt: semel etiā apud Regem P. Posseinius concionatus est, qua in concione insignem animi pietatem præ se tulit bonus vtiq. Rex; ostēdit enim Pater tum demū ipsum Domini pugnas pugnaturū, si tū suis militibus, qui mixii essent ex collumione omnī gentium, tū bello victis populis Catholicæ fidei lumē inferret. Hæc dū maxime agūtur, legati à Moschou i.e Duce venerunt cū magna litterarum volumine (quinquaginta foliorū eæ dicuntur, fuisse) bi cum in senatu, qui illis ad xv. Kal. Auguſti datus est longe inferiores conditiones afferrent, quā superiores legati obtulissent (Liuonia enim Moschus cedebat; Narviā, ac maritima oppida sibi reseruabat) Rex questus nihil aliud, quā morā, et dilationē rei gerendæ queri, legatos à se dimisit, testatus ne Liuonia quidē vniuersa deinceps contentū se fore. Ac sa ne certissima Dei Opt. Max. prouidentia factū est vi in illud ipsum tempus nostrorū aduentus incideret, cum vterq. Princeps pacē exoptarent; neutri tamen cū sua dignitate pacis cōditiones proponere integrū esset. Moschus enim in ijs, quas dixi, litteris scripserat, nisi cōditiones illæ reciperenrur, nullam se aliā ad annum 50. legationem admissurum: Polonus autē ne Liuonia quidē tota iā contentū se fore edixerat: id igitur vñū reliquū esse videbantur, ut sequestris, & quasi arbitri alicuius auctoritate pax illa conficeretur: itaq. transitus ille in
airinti E T
Moscho-

Moschoniā Lituanis antea odiosus, popularis iam fa-
etus erat. Bis P. Posseuinus cū Moschis legatis, Rege
non solū permittente, sed etiam volēte, collocutus est;
quamq. Pont. Max. de ipsorum Principis salute labo-
raret, prolixe ostendit: egit idem cū Poloniæ Rege, vt
captivi duo Veliscensis arcis Præfecti, quos anno supe-
riore in ipsius arcis expugnatione cœperat, Moschis
redderentur; vt eo beneficio ad ea, quæ cū Moschorū
Duce erant agenda, viam sibi facilitiore muniret. Itaq.
cum ea, quæ ad Poloniæ Regem pertinebāt, diligenter
confecta essent; ab ipso Rege potestatem in Moschoniā
discedendi nostri petierunt; quam ille humaniter fecit
litteris commendatitijs ad arcii Præfectos datis, viæq.
duce (Pristanum gentis vocabulo appellant) Basilio Co-
sacorū (ij milites voluntarij sunt) Præfecto adsignato;
qui, quæ ad illud iter necessaria essent, suppeditaret; is
à Rutenico schismate in itinere ad Ecclesiae veritatem
adductus est. Polotia ad xi. Kal. Augusti profecti,
Debrounam, quæ postrema Polonorum arx est, Litua-
ni, Moschiq. Regni limes, ad kal. Augusti peruererūt,
bānd quaquam securi. Equitibus enim, qui ipsos præsi-
dū causa deducebant, ubi primū Moschoniæ fines in-
trarunt, destituti sunt; quod verebantur, ne à Moschis,
qui assiduis populationibus Poloniæ fines vastare con-
sueuerunt, cœderentur: iter præterea per siluam vix
erat explicabile, ramis perpetuo quodam nexu inter-
se ita colligatis, vt securibus via paßim aperienda es-
set, currusque saepe manibus trahendus, saepe etiam
humeris portandus; cum interea defatigatis corpo-
ribus, pluvio cælo, soloq. madefacto pernoctandū es-
set. Metū augebāt Cosaci (prædonū genus id est impor-

P 4 tunissi

tunissimū) qui in silua varias ferarum voces, ut nos
stros terrent, imitabantur. Postero die illucescente,
Moschi equites sexaginta cum litteris, quibus fides
publica coniinebatur, prospiciuntur; his præterat Theodo-
dorus Pochionleim Pristanus, qui comiter eos saluta-
tos, pane, mulso, azimisq. oleo frixis refecit. Nostri
cum Moschis trium dierum itinere progressi, Domini
Transfigurationis die, Smolentium peruererunt: ex
qua urbe trecenti circiter equites, sericis, aureisque
vestibus ornati obuiam longe venerunt; inter quos
principem locum tenebat Smolentiani Palatini filius
Is, ut P. Posseuinum ad equum concendendum inui-
tavit, continuo ei parentis mandata exposuit; ignoscet
sibi, quod ipsem et obuiam illi non prodijset; neque
enim pedem ex arce licere efferre; tum de Gregorij
XIII. valetudine, deque itinere, ut in columnis equi-
tasset, sciscitatus est: tandem illum in suum comitatum
acceptum in urbem, atque adeo in arcem introduxit,
in quam nemini aditus esse solet, ne Cæsar is quidem
legato, qui tamen Moschi foederatus est; interpretibus
autem extra arcem hospitium datum est; cum enim in
Lithuani essent, Moschisq. suspecti, in arcem omnino
penetrare noluerunt. Est autem Smolentium ciuitas
super Boristhenem fluuium sita, vasta illa quidem, sed
raris domicilijs, ijsq. ligneis, ponte item ligneo aditur,
quem utrinque M C C. pedites cingebant; hi festi-
uia sclopotorum, maiorumq. tormentorum displosione
Nostros pertransentes salutarunt: populus præter-
ea effusus faustis acclamationibus, more patrio, exce-
pit; eaq. multitudine vniuersa prosequente, ad hospi-

tium honorificentissime deducti sunt: id erat in subur-
bio positum, recens, ut videbatur, exstructum, sed
gentis more ab omni plane supellestili vacuum, sic ut
ne sella quidem volla, aut scannum viseretur, extra
ea, quae in hypocausto parieti erant affixa. Smolen-
tio VI I. Id. Sextiles Starisiam, ubi per id tempus
Moschouiae Dux versabatur, quadringentorum pas-
suum millium itinere perrexerunt. Haec arx ad Vol-
gam fluvium exstructa est, qui longissimo tractu duo-
bus, & septuaginta ostijs in mare Caspium decurrit;
Moschouia leuis centum distat. Vix passus mille
processerant, cum Pristauius alter Salesainenus Vo-
lokorus cum Iacobo Eborestio Polono interprete, &
equitum quindecim comitatu occurrit. Is ex equo
descendens P. Posseuinum Magni Ducis nomine sa-
luitauit; ab eoque missum se dixit, ut quæ ipsi, fami-
liaque ipsius necessaria essent, prospiceret. Itaque
viroque Pristaui bene comitati Starisiam versus con-
tendunt, nunc maioribus, nunc minoribus itineribus,
prout Moschis videbatur; qui itinera ex libidine po-
tius, quam ratione vlla moderari consueuerunt; ubi
via incidit aspera, & difficilis, gradum accelerare;
vbi aqua, & plana sunt omnia, tardius quasi sedulo
incedere: nunquam cum possint, vel noctu tectum,
vel in summis caloribus arboris umbram subire; non
itinoris, aut quietis habere discriminata tempora;
vbi cumque libido incesserit, ibi subsistere, cibosque
coquere, penulaque mantilis loco strata prandere;
qua de re cum P. Posseuinus cum Pristauiis conque-
stus esset, postea ad hospitia diuertebant. Starisiam

perue-

peruenerunt ad XV. Kal. Septembris, ac mille fere
passus ab urbe obuiam habuere Pristauos alios tres
cum trecentis equitibus Michaelem Vno korum,
Victorium Strachorum, & Simonem Paphonicij filium,
aureis vestibus, gemmis internitentibus, or-
natos. Hi, ubi ad currum, quo P. Posseinius vehe-
batur, accesserunt, ex equis descendentes, seorsum
singuli Patrem salutant; ac Michael quidem primus,
Antoni, inquit, (sic enim absque alio verborum ho-
nore, vnumquemque Moschi appellant, cum tamen
in nominando suo Principe innumerabiles titulos con-
gerere soliti sint) Dei gratia Magnus Hospodar,
Czar (que voces Dominum, & Imperatorem so-
nant) atque Magnus Dux Ioannes Basiliij (tum lon-
gum ordinem annexit titulorum ipsius Principis, id
quod Moschis, ut ante dixi quoties ipsum Principem
nominant solemne est, totius Russiæ, Volodomeriæ,
Moschouïæ, Nouogardiæ, Czar Casaniæ, Czar
Astracaniæ, Dominus Plescouïæ, atque magnus
Dux Smolentij, Tueriæ, Tugoriæ, Permiæ, Viatiiæ,
Bulgariæ, &c. Dominus, & magnus Dux inferioris
Nouogardiæ, Cernohouiæ, Resaniæ, Rostouïæ, Ia-
roslaviæ, Albilæus, Liuoniæ, Vdoriæ, Obdoriæ,
Condiciæ; & totius regionis Sibiriæ, & Siueriæ Do-
minator, &c. querit, quemadmodum valeat San-
ctissimus Pater Gregorius XIII. Papa Romanus.
Bene, inquit, P. Posseinius, que Deo gratia sit:
cum ille, titulis iisdem repetitis, querit item, in-
quit, ut equitaueris; cui P. Posseinius, ita Deus,
inquit, magnum Ducem seruet incolumem. Moschi
enim

enim in omnifere salutatione iisdem interrogationibus, responsionibusq. vti consuevere. Vutorius eadem verbis iisdem, eademque titulorum enumeratione sciscitatus, addidit, & Magnus Dominus noster in te ipso, Gregorio XIII. Pape Romano reverentiam præstat. Tertius Simon eumdem verborum honorem præfatus, Magnus, inquit, Dominus nos tres Pristaos misit (singulos nominat) vt tibi, tuisque necessaria suppeditemus. Tum è prima nobilitate vir equum nigrum argenteis phaleris ornatum ad P. Posseuinum adducens, Antoni, inquit, Magnus Dominus noster suam tibi benevolentiam hoc equo declarat (hec est enim formula in muneribus Principis) quem equum P. Posseuinus ideo accepit, ne si reieceret, Principis animus offenderetur. Itaque pannosi quinque Societas homines inter purpuratorum agmina, per instructa omnia ordinibus virorum, mulierumque ad hospitium per amplum, atque honestum deducuntur. Eo die, publico coniuio sunt excepti, cui præter Pristaos quinque quos dixi, ac sexaginta circiter minorum gentium viros; adolescens interfuit à Principe missus, tamquam ipsius officij vicarius. Is P. Posseino assidebat, & ubi aliquod ferculum inferebatur, assurgens, ceterisque itidem assurgentibus, capite aperto, sui Principis titulis omnibus enumeratis, illud quasi solemne carmen inculcabit, Magnus, inquiens, Dux hoc tibi ferculo suam benevolentiam declarat. Ipsa porro mensa nullo tapete, mantili dumtaxat strata erat. in
ea

ea positus erat panis prægrandis, candidusque, salinum, & vrceoli duo, in quorum altero acetum erat, in altero piper, quibus rebus mensas omnes exstruere Moschis superstitionis est. Vbi vero postremum ferculum est ministratum, adolescentis ille, qui P. Posseuino assidebat, Clebda sol, inquit, id est panis, & sal, quæ absoluti prandii formula est. Eam vero à Sergio Monacho habuisse originem commemorant, quem ante C X C. annum mortuum, & tanquam in Diuos relatum, miraculisque celebrem summa cum religione Moschi venerantur; is enim dum apud se Demetrius magnus Dux accumberet, ijs verbis dæmonem è cella fugasse dicitur: putantque itidem Moschi ijsdem omne malum auerti. Sublati mensis Nostri sese in cubiculum receperè; quo statim ingressi sunt Pristai, vt eos pro gentis more, varijs potationibus oblectarent, quos P. Posseuinus reiecit à se dices, naturæ se quidem necessitati satisfecisse; sacerdotes vero, qui quotidie Christi sacrosanctum corpus suscipiant, continenter, ac sobrie viuere debere; illudque tempus in ijs potius rebus, quæ ad legationem spectarent, quam in poculis ponendum esse: quod responsum Moschi plurimum suspexerunt, & probarunt. Postero die Pristai cum scriba aduenierunt, vt munera (neque enim legato cuiquam fas est in ipsius Principis conspectum sine muniberibus venire) quæ tum ad ipsum Principem, tum ad ceteros ferebantur, in tabulas referrent; adscriptis nominibus eorum, qui mitterent: edixeruntque, vt in diem sequentem Nostri se compararent; futurum enim

vt sere-

vt serenos (sic enim Moschi loquuntur) Magni Prin-
cipis oculos cernerent. Cupiebat quidem P. Posse-
uinus, vt quam minima pompa ad Principem dedu-
ceretur, idque sedulo etiam curauerat: sed omni-
no consuetudini parendum fuit, ne Principis ani-
mus offenderetur, qui eum honorem in P. Posseuino
Pontifici se Maximo exhibere profitebatur. xij. Kal.
septembris, qui dies erat festus S. Bernardi Abba-
tis, cum Nostris rem diuinam priuatis in ædibus per-
egissent (id quod ij quamdiu in Moschouia versati
sunt solemne seruarunt) Pristaui magno reliquæ
nobilitatis comitatu aduenerunt; ac dum munera in
saccis auro, argentoque intertextis componuntur,
duo primarij viri auro fulgentes, in equis auro item
nitentibus conspicuntur, quos xxx. circiter pedites
sericis, versicoloribusq. vestibus induiti sequebantur.
Hi, longa illa titulorum præfatione adhibita, P.
Posseuino nuntiant, paullo post Magnum Ducem suos
serenos oculos ipsi ostensurum (hæc enim, vt ante
dixi Moschorum formula est) missurumque obuiam
duos è Regni proceribus. His abeuntibus, cum equi
à magno Duce missi aduenissent, Nostris cum Prista-
uis, ac duobus interpretibus sedentes in equis in
viam se dant; pedites alij tres Pontificis Maximi
munera ferebant. Eos statim purpuratorum equi-
tum manus excepit, quorum Duces Thomas Buturli-
nus, & Michael Begimus, solemni salutatione P. Pos-
seuino appellato eadem quo proximi nūcijs peragunt;
tum singulorum dextras comiter prensantes eorum
sese comitatui adiungunt. Via, qua ingrediebantur,

dupli-

duplici sclopettariorū ordine instructa erat, qui vesti-
tu versicolori viā omnē, nusquā spatijs intermissis per-
petua serie ad Palatiū vsq; & scalas explebant. In
ipsis scalis duplex item apparuit ordo purpuratorū;
quibus in medijs duo illi Regni proceres occurserunt,
qui solemni salutationis carmine P. Posseuinū exceptū
in aulā induxerunt. In aula multa visebātur subsellia
purpuratorū referta, ita vt posteriora semper paullū
eminerent, quo spectare omnes, spectariq. vicissim pos-
sent. Ipsius vero Magni Ducis cubiculum ijsdem erat
subselliorū ordinibus instructū, in quibus multo plures
purpurati sedebant. Hanc purpuratorū multitudinem
nequaquam ordinariū esse dicitur Magni Ducis famu-
latum, sed pro tempore conduci, vt ea ratione preciosæ
vestes illæ exponantur, maiorq. numerus aulicorū vi-
deatur. Soliū Magni Ducis gradibus duobus eminebat
et terra, eius cultus maxime inter ceteros splendore, et
magnificentia notabatur, aureā tunica gēmæ intexta
admirabili artificio pingebāt: ex humeris epomis eius-
dē operis demittebatur; singulos digitos bini, terniue
annuli gradibus gemmis insertis ornabant: sceptrū ar-
gentē erat, Episcopali lilio simile, auro, gēmisq. con-
structū, Possok Moschi nominat: ocreæ (neq. enim ca-
iceorum vsus illis est) rostrata specie incurvæ, gemmis
itidē adornatæ. Torques illi erant duo, aureis globulis
alternatis, grandibusq. gemmis maior alter ad pectus
vsque demissus, ex altero contractiore crux aurea pal-
mum longa, digito duos lata pendebat. Curunam Mo-
schi capit is vocat insigne, id erat multo auro, multisq.
gemmis illuminatum paullo maius, quam Pontificis

Ma-

Maximi tiara, cetera non disimile. Ad leuā Ioānes filius natu maximus, eodē ornatū, inferiore Solio sedebat. Vbi in Magni Ducis conspectum Nostri venerunt, Senator Primarius surgens, usitato genti in legatis recipiendis more, clara voce Maxime Princeps, inquit, Antonius Posseuinus, comitesq. humū tibi fronte feriunt (sic enim loquuntur Moschi, cum summā reuerentiā, submissionemq. significare volunt) tū Dux P. Posseuinū comiter appellans, Antoni, inquit, vt valet Gregorius Papa XIII. Ita Deus, P. Posseuin⁹, inquit, serenitatē tuā seruet in columē. Ecquæ igitur, inquit, Dux habes mandata? tū P. Posseuinus, vt ipse etiā speciosiorē titulis Ponii. max. nominationē faceret, Sanctissimus, inquit, Dominus noster. Papa Gregorius XIII. uniuersalis ecclesiæ Pastor, Christi in terris Vicarius, sancti Petri successor, multarum regionum, terrarumq. Dominus, Seruus Seruorum Dei, tuam Serenitatem salutat, eique benedictionem precatur, Dux, Pontificis nomine auditō, surrexit, ac tamdiu stetit, dum gratias egit; tum assidens, tu vero, inquit, Antoni, recte ne equitasti? recte, inquit, ille, quæ Christo gratia sit, vtque Serenitati tue inseruiam. Cum vero Ducis, filijque de xtram P. Posseuinus rite de osculatus esset, litterasque omnes confuse, vt iussus est, Secretario tradidisset; cœpit singula munera, quæ ad Duce m ferebat, exponere. Prima crux fuit è chris tallo egregio artificio, auroq. cœlata, in quam inserta pars erat sacro sanctæ crucis, illius, cui Christus Deus noster suffixus est: hanc in manus eū sumpsisset Dux, diu contemplatus, dignum vero ait Pontifice Maximō

mo munus. Altera fuit sacra cerei agni imago , in ar-
gento illigata, opere miniato eleganissime picta cum
Rhuthenica inscriptione ; quod munus P. Possevius
ipse se Duci dare dixit: propterea quod ea moschorum
consuetudo sit, ut etiam legati suo ipso nomine mune-
ra magno Duci afferant. Tertium Concilij Florentini
volumen fuit eleganter compactum, & ornatum. Quar-
tum Rosarium ex auro, gemmisque. Quinta globulo-
rum decas precariorum ex alia item gemma, auro in-
serto. Ultimus crater fuit è christallo , ab labris au-
ro circumclusus. Ducis Filio sua quoque data mu-
nera ex iisdem gemmis ; ad Coniugē item, ex qua Ioan-
nes filius natus est; Pontifex Maximus munera, litte-
rasque dederat ; sed eam vita iam pridem functam co-
gnitum est, quamque Dux tunc in matrimonio habe-
ret, eam septimā uxorem esse. Dux muneribus singulis
diligenter inspectis, ea rursum P. Possevino reddi, ip-
sumque, quæ in mandatis haberet, cum Senatoribus, et
Consiliarijs agere iussit, atque in eum ipsum diem ad
panem, & sal inuitauit; quæ Moschorum ad coniuiū
inuitantiū formula est. Itaq. cū ad inferius hypocau-
stum à Pristinis deducti Nostri essent, eodem paulo
post Consiliarij quattuor, Regnique Cancellarius
conuenerunt; ceterisque omnibus exeuntibus, P. Posse-
vius per semiboram Pontificis Maximi mandata
per interpretē exposuit, quæ mox etiam potentibus
scripto tradidit. Eorum hæc erat summa, Ut quoniam
ipse Pontifici Maximo per proximum legatum polli-
citus esset, se, si ab Rege Poloniæ otium fuisset, bellum
Turcis illaturū ; fidem non falleret, sed ad communem
hostem

hostem tollendum cum ceteris Christianis Principibus
conspiraret. Liberum transitum per suum Regnum Pō
tificis Maximi legatis daret, si quos ille vlo vñquam
tempore ad Persas, Tartarosque destinasset. Catho
licis in Moschouia commercium esset, templaque ij ca
tholicorum ritu haberent. Hoc tabatur præterea Ma
gnum Ducem Pontifex, ut ad catholicam religionem
reuerteretur, & in Romani Pontificis potestate esset.
Interea duo Principes viri superueniunt à Duce mis
si, qui munera de P. Posseuni manu accepta pèr vni
uersam illam purpuratorum multitudinem, palam, vt
ab omnibus conspicerentur, circungestarunt: qua etiā
causa existim, ea primum apud Ducem relicta non
esse, vt scilicet maiore mox pompa aperta circumfer
rentur. Consiliarij cognitis ijs, quæ à P. Posseuno af
ferebantur, ad Ducem redierunt. Neque multò post
eorum discessum à Thoma, & Michaele P. Posseui
nus, comitesque ad prandium in aliam ædium partem
deducti sunt; quacumque veniebant, omnia similiter
purpuratorum ordinibus instructa inuenerunt. In tri
clinij vestibulo abaci duo visebantur ornati, plurimis
vasis aureis, & argenteis aceruatim accumulatis.
Alius item in ipso triclinio maior, quam ceteri, præ
grandibus vasis aureis, & argenteis erat constructus;
quæ omnia tunc quidem vsui nulli fuere, ad inanē lu
xum, et diuitiarū ostentationē dumtaxat exposita. Di
scubentiu numerus centū circiter fuit; primi sedebant
adolescētes duo, à Regibus Poloniæ, Ducibusq. Micis
lauisib; oriundi; infra Senatores octo, qui præcipui
ferē Duces sunt; deinceps intimi Consiliarij septē, quos

Q magna

magna Aulicorum turba promiscua excipiebat. In his nulla ratio dignitatis habetur, sed eo quisque loco sedet, quem videlicet occuparit. Magnus Dux separata in mensa cum filio, ceteris eminentior sedebat; utriusque prope suus tiara, sceptrumque erant apposita; supra caput elegans pendebat Mariæ virginis imago auro, gemmisque ornata. Mensæ, ut ante dixi, mappa dumtaxat stratæ erant; non tapetibus, non mantilibus ad tergendas manus, non lancibus, non cultris, non surculis instructæ; in ijs panis, salinum, & urceoli, ex Moschorum superstitione, tantum visebantur. Vbi triclinium Nostri sunt ingressi, Dux nomine venumquemq. compellans, in mensa, quæ ab ipso proxime aberat, collocauit. Inde Dux, filijque manibus aqua data est; ne que alias in priuatis conuiuijs Moschi accubituri manus lauant. Porro Dux in conuiuio seduli patris familias vicem tenere visus est, oculis circumspicere, ne quid cuiquam desit, saepè Nostris, saepè ceteris, vel remotissimis de sua mensa mittere. Mos est autem Moschorum in conuiuijs, ut, cum alicui Dux mittit e mensa, ab omnibus in conuiuio assurgatur; tum, qui assert, Magnus, inquit, Dominus suam tibi hoc munere benevolentiam declarat; respondet alter, Ferio humum frōte. Si cui vero propinauerit Dux, quo is cumque loco fuerit, in medium triclinium procedit, saluta toque Duce pro suo arbitrio babit, deinde poculum, cui visum fuerit e conuiuis, tradit. Huic tamen confusidini Nostri non paruerunt. Et sane duabus horis, quot conuiuum durauit, plus sexages assurrexerunt. Cum est. Sub prandij finem, Dux facto silentio, grauis simā

simam orationem ingressus de maiorum suorum cum Romano Pontifice fædere, & amicitia professus est, illum generalem esse Christianæ Reip. Pastorem, Christianq. Vicarium; velle proinde se, suoque in eius potestate, ac fide permanere. Quæ oratio, licet non ex vero animi sensu profecta, sed præsenti necessitate expressa esset, ut rei exitus indicavit; plurimi tamen valuit ad Pontificis Maximi existimationem populis conciliandam. Peracto coniuio (quod superiorum omnium amplissimum fuisse Moschi affirmabant) Nostri eadē frequentiū domum reducti sunt. Triduum inde invertendis in Ruthenicum sermonem Pontificis Maximi mandatis consumptum est. Per quam occasiōne quædā in ea præterea coniecta sūt ad euellendā ex animis hominum prauam de latina Ecclesia, & religione opinionem. Pridie Kal. Septembbris eadem pompa, celebri tateq. Nostri ad Ducem iterum deducuntur. Quo die Dux præfatus Pontificis Maximi benevolentiam, Patriisque Posseuini sedulitatem grauissimam sibi accidisse; dixit secum ipsius Pontificis, sum Rodulfi Imperatoris litteras diligenter legisse; orque ad singula capita se per suos Consiliarios (singulos nominans, digitoque designans) responsum. Inde P. Posseuimus cū Consiliarijs Basilio Gregorij F. Romano Michaelis F. Andrea Solchanon Regni Cancellario, Epiphania Damiani F. Ioanne Stresgnof, in hypocaustum secedit. Ibi horarum circiter quinq. spatio res d Consiliarijs, Patreq. Posseuino diligenter acta est, & ad singula accurate responsum: reliqua in diem ante prid. Non. Septembbris reiecta sunt. Eo die eadē celebritate à Duce

Q. 2 tertio

tertio euocantur, iussusque est P. Posseuinus, que superioribus diebus instituerat cum Consiliariis concludere. Quo die cum unus è comitibus morbo domi retetus esset, statim Dux ad eum virum principem misit, qui sciscitaretur, num qua re indigeret; ac paullo post suum etiam Medicum hominem Belgam officij causa delegavit. Solet autem Dux tam frequenter legatos ad se accersire, ne aditus ad se illis interclusus videatur; quod autem per Consiliarios respondeat, in eo creditur suam seruare maiestatem; Inter consultationem vero, cum huiusmodi nodus incidisset, quem Consiliarij expedire ipsi per se non auderent, deque ea re ad Ducem retulissent, delegavit is Mikitam Romanouictum primæ coniugis demortuæ fratrem, summa auctoritatis virum, & Bogdanum Bielstium consilij Præsidem, qui P. Posseuinum suo nomine rogarent, ut non modo vt Nuncius Apostolicus, sed etiam vt Consiliarius, & Senator suam diceret sententiam; quam postea sententiam ab ipso magno Duce summopere probatam cognitum est. Ea res cum reliqua multitudini, tum Pristauis, & Consiliarijs ingentem peperit admirationem: præsertim vero quod Dux omnes publicas tabulas, & monumenta miserit ad P. Posseuinum, ut tanquam si seruus esset; sic factorum rationem reddere videretur. Ac cetera quidem haud ægre impetrata sunt; illud vero de religione impetrari non potuit: vetuitque eorum quidpiam, quæ ad religionem spectarent, interpretes conuertere; summa tamen P. Posseuini contentione perfectum est, ut res integra in suum redditum, pacemq.

pacemq. confectam reseruaretur. Cum enim Plesco-
nia (quæ vrbs in interiore regno sita est munitissima)
à Poloniæ Rege vehementissime oppugnaretur; Dux
P. Posseuinum vrgebat, ut saluis adhuc rebus Plesco-
niensibus ad Poloniæ Regem excurreret, pacemque
componeret. Itaq. tota res ex Ducis voluntate sic diui-
sa est, vt ex sacerdotibus vnuſ Romā ad Pontificē Ma-
ximū veniret (qui tamen nouæ Prouinciæ administra-
tione in Polonia subsistere coactus est) P. Posseuinus
vltro, citroq. cursaret, donec pacem inter Reges con-
stituisset. Alter sacerdos cū fratre tantisper apud Di-
cem in Moschonia essent, dum P. Posseuinus confecta
pace reuerteretur. Quod tametsi Dux callide fecit, vt
eos velut obsides haberet fidei P. Posseuni, tamen
id non incommode cecidit; propterea quod, & rerum
statum explorarunt diligentius; Moschique assue-
uerunt Catholicis hominibus videndis, ijs præser-
tim, qui à sacro sancta sede Apostolica ad ipsos mit-
terentur. Interea dum ea, quæ ad profectionem
pertinent Pristaui comparant; ad v. Idus Septem-
bris venit à Rege Poloniæ tabellarius cum litteris,
quibus ille longissimis ijs, quas ad Polotiam reddi-
tas dixi, respondebat. Postero die Dux Nostros ad
se venire iussit; ac vix in eius conspectum ingres-
sis, Senatores P. Posseuinum ad consiliū locum si-
lentio deducunt, litterasque Poloniæ Regis ostendūt
(eæ Ruthenice Polonice, & latine conscriptæ erant,
vehementes sane, & in ipsum Principem contume-
liosissimæ) remque vt matureret, rogant. De Ponti-
fici Maximi postulatis mētio iniecta est: & ad cetera

Q. 3 quidem

quidem responsum datur; unum illud religionis caput etiam nunc supprimitur, atque in P. Possevini reditum producitur. Quod dedit, acceperunt, omniaque statim gentis more in tabulas publicas relata sunt: speramusq. si minus in praesens tempus, at certe in futurum huius beneficij memoriam, ut olim in Assuero, sic in posteris annales euoluētibus aliquid effecturam. Dedit præterea Dux ad Pontificem Maximum, Imperatorem, Venetosque litteras, quibus, fide publica, eorum mercatoribus, ac Sacerdotibus Catholicis liberam in suis Regnis habitandi potestatem facit; locumque ad sacra peragenda, suosq. humandos habere permittit: legatis vero, qui ad Persas, Tartarosque mitterentur (hi enim Moschis finitimi sunt, duces itineris, & commeatum per Moschouiam vniuersam, Regnaq. Cazani, & Abstracani quæ duo regna superioribus annis Moschus de Tartaris cepit) liberaliter pollicetur. Pridie Id. Septembris multo maior, quam antea purpuratorum frequentia Nostros ad Regiam usque celebrait, ut ab eo tandem digredierentur. Hic Princeps assurgens, ceterisq. ut idem ficerent, imperans, Antoni, inquit, ad Stephanum Regem ibis, eumque meo nomine salutabis, pacemq. ex mandato Pontificis Maximi tractabis: tum quidquid demum perfeceris, ad nos reuertere; semper enim tua nobis præsentia iucunda erit, tum propter Pontificem Maximum, tum propter tuam fidelem operam in hac causa nauatam; Inde ad Sacerdotem, qui Romam mittebatur conuersus, Tu, inquit, ad Pontificem Maximum proficisceris, eumq. meo similiter nomine salutabis, & munera.

munera, litterasq. reddes. Eadem Ioannes filius, verbis ijsdem peregit. Ad extremum Dux alterum sacerdotem, qui in Moschouia remanebat ad se vocat, tu hic, inquit, mecum eris in Moschouia, caputq. hominis demulcens, ad P. Posseuinum dixit, Bono animo sis Antoni; hic enim perhumaniter tractabitur a nobis, non secus, ac si tu ipse praesens adesses. Tum manum deinceps Ducis, filioque deosculati domum redeunt. Domi Dux coniuium magnificentum, & lautum apparari iusserrat: in quo cetera quidem superiorum similia fuere; sub finem vero Principes quidam viri tum varia cibaria, tum vini amphoram attulerunt, quod in ijs Regnis rarissimum est, atque apud unum Magnum Ducem reperitur. Hac ideo Dux dedit, ut Nostris in castris Polonicis vsui essent, per fines enim Moschouiae necessaria curabantur a Pristauis. quam Ducis liberalitate, sollicitudinemq. apud eos, qui aderant, multis verbis P. Posseuinus extulit. Ad vesperam Dux cum Nostros euocasset, Sacerdotii, quem Romam mittebat, munera dedit ad Pontificem Maximum preciosas & bellinorum pelles: singulis quoque Nostrorū magnifica dona pellium, & pecuniae dedit, quæ cum P. Posseuinus, pro instituti nostri ratione, accipere nollet; monitus est ne id faceret: Duce, sua si dona respuantur, contemni se existimare, ac beneficeniam in crudelitatem vertere. Ea vero munera P. Posseuinus in Polonos, Moschosq. captiuos redimendos impendit; id Duce magnopere suspiciente, ac probante. Quamquā bona illico pecuniae pars Pristauis, ceterisque aulicis, qui aderant, diuisa est; id, gentis more, vocibus impor-

tunissimis efflagitantibus. Postridie, qui dies S. Crucis exaltationi erat sacer, P. Posseuinus, centum circiter purpuratorum equitum comitatu, Starisia Plescouiam versus, quam à Rege Poloniae obsideri dixi, iter intendunt. Ad lacum Ilmenium, quindecim ferme dierum itinere, per immensa camporum aquora, silvasq. peruererūt. Lacu Ilmenio horis octo superato (patet is quaqua versus millia passuum quinquaginta) ubi Nouogardiam deuentum est, praesto Nostris fuere Tartarorū duo millia, Nouoguardia à Moschouiae Duce præsidij caussa missi. Horum Præfectus (Vieuvodamilli vocant) christianus cum esset (reliqui enim Mahometicis superstitionibus erant addicti) se, suamq. operam ijs prolixe detulit. Inde Basilius alter interpretum in Polonorū castra missus est, qui Regem de Nostrorum aduentu certiorem faceret; vtq. ad fines mitteret, qui eos tuto deduceret. Interea dum responsum expectatur quattuor dies elabuntur: quo tempore ipsius Moschouiae Ducis interpres à Ruthenico schismate ad Catholicā fidem traductus est. Poloniae Rex, Nostrorum aduentu cognito, Alexandru Brunstium Lituaniæ, ut vocat, Dapiferum, cū equis ducentis ad passuum quinquaginta millia iussit occurrere. Plescouiam in castra iij. Non. Octob. peruererunt. Mirum quam omnibus gratus eorum aduentus acciderit: nisi enim pax confecta esset, in biemē obsidiori debatur exitura, cum Regi certū esset, nisi Plescouia expugnata, inde castra non mouere. Pridie etiam illius diei niuis casus ingentem desperationē adiecerat; eoq. magis, quod ne tentoria quidem milites habent, quibus hic-

hiemē defendant. Eo die P. Posseuino Senatus à Rege
datus, est in quo ille pacis conditiones, quas à Moscho
afferebat, exposuit. Attentissimis omniū auribus, ani-
misq. vsus est: sed quia serū erat diei, in posterum diem
producta res est. Vbi primū illuxit, P. Posseuinū Rex
aduocat, decernitur, vt P. Posseuinus è suis aliquē ad
Moschū mittat (is erat eo tēpore Slobodæ Alexādri,
quæ arx Moschouia millibus passuū lx. distat) qui ab
eo postularet, vt aliquis locus medius deligeretur, quo
vtriusq. partis legati summa cū potestate conuenirent.
Missus est Andreas Apollonius alter ex interpretibus
in signi probitate iuuenis, qui paullo post cū ex Moscho
via rediisset, in morbum incidit; ijsq. omnibus, quæ ad
expiandum animū pertinent rite procuratis, vita fun-
ctus est. Kiuerouahorca exiguis pagus est ad Imamū
Zapolsciæ, millibus passuū centū à castris, is colloquio
legatorū destinatur, eōq. legati ad constitutū tempus
conuenerunt. Curauit autē P. Posseuinus, vt ne quis-
piam Hæreticus in eam legationē mitteretur; quod in
maxima catholicorū paucitate Rex summe catholicus
libentissime præstítit. In ipso Pago P. Posseuinus mā-
sit cum Moschis. Polloni millia passuū decem à Pago
confederunt. Vtriq. autē Moschi, Poloniq. in P. Pos-
seuini tabernaculū coibant; ibi de pace agebāt: verum
tota res varijs querelis, et criminibus interponē-
dis in alterū mensēm exiracta est. Tandem ad xij. cir-
citer Kal. Febr. his conditionibus pax constituta est, vt
Moschus Liuonia cederet vniuersa; Polonus contra
redderet arces, quas hisce duobus annis cepisset. atq. in
eas condiciones Poloni, & Moschi legati rite iurarūt.

Qua

Quia in re ad l^aetitiam cumulandā percommode cecidit, ut cum Polonorum legatorum scribā Ruthenico Schismate infectum Moschi eadē ipsi labe adspersi ad suam crucem deosculandam (id enim apud Polonos, Moschosq. sanctissimum est iusurandum) inuitaret; is tamen ad nostram, idest Catholicorum crucem, quae in P. Posseuini tabernaculo erat proposita cum legatis Polonis accesserit, eamque religiose fit deosculatus. H^ec pax tum armis, tum varijs legationibus triginta ipsos annos sic tentata est, ut omnes tandem conatus ad irritum caderent; donec ipsa re demum comprobaretur, eum pacis huius sequestrem esse debere, cui Christus Deus noster veram pacem legauit, suosq. fratres confirmare iussit. In ipsa porro confectione, & conclusione pacis plurimae interuenerunt difficultates, quae rem distraherent. S^epe enim legati, dissensione aliqua suborta, indignates, ad suos Reges reuertebant, qui videlicet omni ratione placidi reiuenide erant. Identidē etiā tabellarij in castra, Vlnāq. quo Rex Poloniæ secesserat; aut ad Moschū, qui DCC. passuum millibus aberat, de mensibus Decēbris, & Ianuarij, summa hieme, frigoribus maximis dimittendi erant, per quos res fierent planiores. His omnibus summa rerum omnium indigentia inerat; cum enim ea loca ob militum excursiones omni solitudine, & inopia vasta essent, vix ad bibendum aqua, eaque corrupta suppetebat. Confecto patis negotio P. Posseuinus cursum ad Moschouia Ducem cum legatis intendit. Porcouiam autem cum venissent, vniuersa multitudine obuiam processit, pacē partam gratulantes. No

uogardiam inde magnā oclidui itinere contendit; hæc
ligneæ cinitas est, arcem, & propugnacula habet ex
lapide; legibus olim suis vsa, multisque populi impe-
rasse dicitur. P. Possevinius per reserta omnia ordini-
bus virorum, quos ad eam ipsam rem excuerant ex
agris, inter gratulationes, & plausus urbem ingressus,
eadem frequentia ad vsque hospitium celebratus est.
Nouogardiæ biduum commoratus, Moschouiam xiij.
die peruenit. Dux albi vrsi pelle ingenti rhedam orna-
tam, equitesque CCC. obuiam misit, à quibus honori-
ficiens deduceretur. Vbi primum Ducem conuenie-
di facultas data est, nihil antiquius Pater habuit,
quam vt ea, quæ inchoauerat, & in ipsius reditū pro-
ducta erant, tandem perficeret, de legato ad Pontifi-
cem Maximum mittendo, de fœdere inter Christianos
Principes sanciendo, de Catholicis mercatoribus, Sa-
cerdotibusque in Moschouiam recipiendis. Quæ ille
omnia partim præstítit, partim litteris ad Pontificem
Maximum, Imperatorem, Poloniæ Regem, Remp.
Venetam, Archiducesque Carolum, & Ernestum da-
tis prolixè pollicitus est, cum summa Societatis nostræ
ea in re industria, ac sedulitatis testificatione. De reli-
gione autem (quod vnum maxime ex hac missione pe-
tebatur) nihil summo P. Possevini studio confectū est.
Ter ipso Duce, Regnique nobilitate audiente de reli-
gione disputauit; Ducique commentarium obtulit,
in quo illa omnia collegerat, quibus latina Ecclesia
à Græca, Rhutenicaque distaret. Dux cum suspicarē-
tur futuras in Nostrorum aduentu de religione con-
certationes; Metropolitanum, septemque alios Epi-
scopos,

scopos, sese, ut ad resistendum acuerent, iusserat; quibus Ducis item iussu medicus Anabaptista adiunctus est. Is desertæ fortassis ab se fidei recordatione commotus, arcano nostris significauit, boni consuleret, si metu adductus in ipsa disputatione aliquid contra catholicā religionem dixisset. Angli præterea mercatores hæretici (ijs ea lege habitare in Moschouia permittitur, ut duodecim semper tanquam obsides retineantur) veriti forte, ne quid de suæ Reginæ auctoritate minueretur, quā ecclesiæ caput impie, nefarieq. ementiuntur, tum ut Duci gratificarentur, Duci librū obtulerunt, quo Pontificē Maximum Antichristū esse ostendebatur. Hi cum multa mouissent, neq. tamen ad ea, quæ obijcerentur, respondere possent, rē totā silētio dissimularunt. Iniectus tamen est hominibus scrupulus, & quædam dubitatio, quænam sit vera religio, multorūq. studia sunt mota, quæ modo pateat aditus catholicis Sacerdotibus, facile retineri, & promoueri poterunt. Iam ver appetebat, cum flumina, lacusque quæ in Moscouia per hiemem durata frigoribus, vi vel curribus transitus sit, passim sese offerunt; verni temporis calore liquefacta inundat omnia, & itinera intercludunt. In id tempus ne sua profectio incideret, summopere timebat P. Posseuinus: itaque rebus cum Moscho confectis, cum redditum adornaret, interea fit certior Italos, Hispanosque quattuordecim ex arce Asoph, Turcarumq. seruitute, per Tanaim fluum Vologdam Moschi ciuitatem, D. ultra Moschouiam passuum millibus fuga contedisse; hos ut Pontifici Maximo, Regiq. Catholico Moschus donaret, summo studio

dio perfecit; à quo, d' illud P. Posseuinus impetravit,
vt Lituanos triginta mercatores dimitteret, viq. quo-
niā è suo comitatu in itinere duo interiūssent eoru nū-
merū totidem captiuis expleret. Sane Moschi capti-
uos ita tractat, vt eos sempiternis tenebris, vinculisq.
mandantes, ibi pædore, inediaque confiant. Egit P.
Posseuinus cum Duce, vt clxxx. Poloni, Lituaniq. in
quibus aliquot erant nobiles Liuones ex illa fæditate
erepti per ciuium domos distribuerentur, humaniusq.
tractarentur, quorum bonam partem Dux ad P. Pos-
seuini domum misit, vt beneficium illud Pontifici Ma-
ximo, Patriq. Posseuino referrent acceptum. Mis-
rabile vero spectaculum erat homines nobilissimos
vestibus squalore obſtitis, fame enectos, promissa bar-
ba, capillisq. specie oris efferantibus ſeſe ad pedes pro-
ſternere, et fronte terrā ſupplicū more ferire, vnamq.
Pontificis Max. fidem, ac liberalitatē implorare. Hos
P. Posseuinus bono animo iussit eſſe; curaturum ſe vt
captiui permittarentur, ac ſingulos cibo refectos, pe-
cunia donatos dimiſit. Nobilis quoque Saxo thecam
argenteam auro ornatam ſacrosanctæ Eucharistiæ
circumferendæ ad P. Posseuinū detulit, vt alicui inter
catholicos templo reſtitueretur, quam ſeſe aureis
circiter centum redemiffe dicebat. Id ſe P. Posseui-
nus facturum, eiusq. cauſam diligenter apud Impera-
torem acturum promiſit. Neque vero Lituani, Liuo-
nesq. ſoli, quorum tamen pleriq. hæreſeos, ſchisma-
tisq. labo erant infecti, ſed ipſi Græci, Armeniq. in
hiſ nobilis Turca Aconiatus, quem Græci Kelebi vo-
cant, plurimum ſeſe Pontifici Maximo debere
pro-

profitebantur; quod etius auctoritate bello tādem finis impositus esset, redditusq. in patriā patuisset. hoc enim biēnio, quo bellum inter Moschos, Polonosq. exarsit, praecluso armis omni exitu, captiui fere in Moschouia detenti sunt. His rebus confectis P. Posseinius pridie Idus Martij Moschouia discessit. CCC nobilibus honoris caussa ad IV. millia passuum prosequentibus: quadriduo passuum millia C D; munque cursu intermisso noctem diei coniungens Smolentium usque confecit. In ea ciuitate, dum legatus, quem Moschus ad Pontificē Maximum destinarat, consequitur, sex dies subsedit. Smolentio CL equitibus, perditibusque præsidij caussa comitati, Orsam inde Viterpsiūm perrexerunt: quæ arx ad Dunam fluuium sita, oppidum coniunctum habet, in quo Rutheni, Luterni, Caluiniani, & Catholici suo quisque ritu sacra peragunt. Ibi P. Posseino nunciatur Parochum octogenarium; qui unus in ea barbaria Sacerdos esset, morti proximum rogare, ut ad ipsum confessio-
nis caussa aliquis mitteretur. Missus est unus e nostris Sacerdos, qui eum ritè expiatum Christi corpo-
re postero die refecit. Interea Paschatis instabant solemnia: quare ne Catholici per eos dies Sacerdote destituerentur, Palatini, qui Catholicus est, ro-
gatus, idem sacerdos cum fratre cum Moschorum, Nostrorumque impedimentis, apud eos tantisper re-
lucti, dum alter Parochus à Canonicis Vilnensibus
subrogaretur. Polotiam inde peruentum est; ipsoq.
Palmarum die iuuensis, qui Polonia Regi à manu
est, quique nostris in ijs describendis, quæ ad refu-
tan-

tandum schisma pertinent, fidelem operam nauarat, ab heresi luterana ad Catholicam fidem conuersus est. Ipse præterea Polocensis Episcopus schismaticus, cū pacem nobis gratulatū vénisset, pollicitus est sese cum nostris, qui inibi sunt amicitiam conseruaturū, & quæ de schismate scripta essent, diligenter se lectorum. Polotia Disnam versus iter intenderunt: ea in arce catholici visuntur aliquot, à quibus rogatus P. Posseuinus est, ut sacrum apud ipsos ficeret; propterea quod Catholicum Sacerdotem haberent nullum. Nobiles item duo, cum à Rauteno Sacerdote matrimonio coniuncti essent, ut catholico ritu iterum coniungerentur, petiere. Ex eo loco Duneburgum, inde Illuxenum Curlandiæ oppidum ipso sabbati sancti die peruererunt. Vrbs tota hæresi infecta est; hospitiumque P. Posseuino in Parochi luterani, ut pote opulentissimi ædibus attributum est. Tam Paschalis dies Dominicus aderat, eum P. Posseuinus excitata in ipsis ædibus ara celebravit, ipso Parochio inspectante, & ohstupesciente. Is filium vltro nostris obtulit, quem Bransbergam, Olmutiumue deducerent; sed certas ob caussas eum loco non mouere satius visum est: unum dumtaxat adolescentē nobilis luterani filium eduxerunt Curlandiæ primitias, qui plurimas linguis sciret, latinam, Germanicam, Goticam, Polonicam, Ruhenicam, & Moschouiticam, quem breui fratres duos secuturos speramus. Illuxeno Rigam versus (quæ Liuonie caput est, quoque Rex Poloniæ sese pace facta translulerat) non sine difficultate contenderunt, fluminibus passim occurrentibus,

bus, quæ illi informes alueos ex arboribus eauantes
 vt cumque traictebant; equosque nantes loris à pup-
 pibus trahebant. Misit Rex bidui itinere obuiam P.
 Posseuino suos currus, Rigamq. appropinquanti eius-
 dem iussu nobilitas vniuersa obuiam processit, vt cum
 Moschi legatus, tum vero ipsi Rigenses luterani intel-
 ligerent, quanti ab ipso fieret Pontificis Max. Legati.
 Multa P. Posseuinus egit cum Rege de pace cum Mos-
 chis seruanda, captiuisq. permutandis: de Liuonia in-
 uanda, & Episcopo constituendo, de amicitia cum Re-
 ge Suetiæ tuenda, ad quem etiam legatum mitti pla-
 cuit; designatusq. est Christophorus Varzeuicius, à
 cuius singulari pietate, prudentiaq. omnia felicia ex-
 pectamus. His rebus peractis Vilnam P. Posseuinus
 discessit, vt ibi Pontificis Max. auctoritate Rhuteno-
 rum, Moschorumq. Seminarium institueret, qui ad
 eos alendos M C C. scutatorum annum rectigal at-
 tribuit. Inde Romam Idibus Septembris 1582. cum
 Moschi legato peruenit. Fxit Deus, vt quemadmo-
 dum hæc missio bellum grauissimum confecit, sic etiæ
 superstitionum omnium finem fecerit; vt non solù cum
 Polonis Moschi, sed multo etiam magis cum Romana
 ecclesia reconcilietur, ab eaque deinceps veros ritus,
 ac religionem petant. Nunc quoniam de Moscouitica
 missione sermo est, non alienum esse videtur de Mos-
 chorum moribus pauca ex P. Io. Pauli Campaniliteris
 (nam de ijsdem Patris etiam Posseuini commen-
 tarius extare dicitur) proponere. Moschouia inter
 Scythiam, Sarmatiamq. supra Tanais fontes, vsq. ad
 Caspium, concretumque mare vastissimo tractu ex-

ten-

tenditur. Terminos habet ab oriente Tauricam Scythiam; ab Occidente Liuoniam; à meridie Sarmatiam; à Septentrione Oceanū glacialem. Totus vero tractus circuitu colligit leucas plus mille. Huius populi Moschi, seu Moschouitæ nominantur, qui in extremis Europæ, Asiaeque finibus positi, ab Septemtrione vltimi mortalium esse perhibentur. Moschouitæ finibus egredi absque Ducis potestate, incolis capitale est: aduenæ vero, si qui eò absque fide publica penetraverint, perpetuæ seruituti addicuntur. Sed neque externarum gentium legatis, aut mercatoribus, qui fide publica in Moschouiam venerint; liber exitus per provinciam permittitur; quamdiu enim ijs versantur in Moschouia, in honesta quadam custodia detinentur; certique homines ponuntur, qui quæ agant, quibuscum loquantur obseruent. Id quod etiam nostris Patribus vsu venit, vt ne ad aquandum quidem equos pedem domo efferre liceret. Ipsimet Moschi aquam afferre, vnde bibant equi; ipsi ceteros artifices, quorum operam desiderari coniigerit, ad hospitium deducere; noctu ignibus in impluvio accensis, cubiculorum fores cum bacillis custodire. Infelix omnino regio, atque iniuria rigentis sideris, multis in locis ab habitatoribus deserta, & inculta: ideo vastæ circum- quaque solitudines patent, silvaeque intactis & arboribus horrentes. Viatoribus autem maxime infesta, cum in tanta immensitate terrarum nulla diuersoria reperiantur; ubi dies defecerit, ibi pernoctandum nudo, atque inculto solo; cibus unicusque is est, quem videlicet quisque secum aduexerit. Vr-

R bes

bes raris locis visuntur incolis infrequētes, è ligno cōstructæ, inter has nobilissima Moscha, seu Moschouia sedes Regum, quæ regioni, gentique vniuersæ nomen indidit; abest ab Urbe Roma leuis circiter millibus. Porro maxima pars regionis palustris, quam crebra flumina interfluūt; idcirco magis hieme, quam aestate peruvia, cum aquæ frigoribus durat, vel curribus iter p̄ebeant expeditum: nam tametsi in fluminibus pontes fere lignei facti sunt (quos deinde in legatorum aduentum reficere vniuersos consueueret) tamen cum iū ex rudi, nec dolata materia sint fabricati, currus sape frangunt, viatoresque mirum in modum contundunt, ac debilitant. Ex omnibus autem fluminibus maximum, ac celeberrimum est, quod ipsi V olgam nominant, Rham veteribus dictum fuisse nonnulli arbitratur. Is crebris, ac sinuosis flexibus cum Moschouiam vniuersam pererrauerit, in Orientem cursum dirigit; Cazanisque, & Astracanis Tartarorum Regna peragatus, ostys LXXII. in mare Caspium effunditur; quo flumine vestes auro, argentoque intextæ, & preciosa textilia, quibus Moschi vtuntur, ex Persia deueniuntur. Solum fertile pecoris, frumenti, mellisque feracissimum. Maximo autem in honore sunt zibellinorum pelles, quæ ab extrema Moschouia, ad futurā vestium Principum virorum immenso precio exportantur ad nos. Vites in Moschouia non seruntur; neq. vinum (quod illi Romaniam vocant, rarum inuentu, forsique desertur) alibi quam apud unum Regem reperitur, à quo per Episcopos in vniuersam Moschouiam ad sacrificium missæ peragendum distribuitur. Potus illis

illis ceruisia ex fruge macerata, aut Medo^{is} miscetur ex aqua, & melle) ex his deinde aquam vitæ siue ardentem, ut vocant, eliciunt vi ignis, eamque in coniuuijs vulgo solent presumere ad auertendas inflations, quas cibi, potionisq. regionis faciunt, ebrietas in plebe seuerissime vindicatur; legeque interdictum est, ea vendi publice in tabernis, que aliquo modo possint ebrietatem inducere. Cultus asper, & munditijs carens. Mensæ accubituri manus non lauant, neque ad coniuicia cultros, aut furcillas, aut mantilia manibus tergendis adhibet. Victus parcus, & parabilis, eiusdēque perpetuo tenoris: properea quod non eō insatiable hæc luxuries peruersit, saporum, & condimento rum singulis coniuuijs multiplicandi varietatem. Moschi enim cum stomacho valido sint, duros fere cibos amant, ideo semicrudas etiam carnes vorāt; ac cepe, brassicæque præcipuo sunt apud ipsos in honore mensarum. In eo sane coniuicio, quo à Rege P. Posseuinus exceptus est, quodque omnium splendidissimum fuisse ipsimet Moschi testabantur, triginta missus apparuerūt, iisque structi epulis non exquisitissimis. Panis vulgo ex tritico, aut silagine conficitur; candore exi mio. Pistores publice nulli sunt; singuli æque ciues, atq. rustici domi pinsunt, panemque faciunt; eumque in iisdem furnis coquunt, quibus hypocaustum calcifiunt. Domus ligneæ sunt elegantia, ornatusve auleorum nullo; nudi parietes fumo, ac fuligine horrent: neque enim vt apud nos, sic apud Moschos, & Lituanos camini exitum habent, quo simul cum igne sumus innocenter extra tectum educatur; sed eum

R 2 portis,

portis, ac fenestris patentibus emittunt: itaque cum fornacem succendent, tantus in triclinijs fumus fit
(nam ignem fere ex lignis viridibus, atque humidis faciunt) ut nullo modo in ijs habitari possit. Medicorum, aut pharmacorum usus apud eos nullus omnino: unus Dux medicos habet apud se duos, unum Italum, Belgum alterum. Ita vero magnifice de se sentiunt, ut omnes alias nationes pra se contemnant, neque vel regionem, vel viuendi rationem sui beatiorum ullam putent. Hunc autem animi fastum declarant maxime preciosis vestibus, auro, argentoque fulgentibus; quas etiam ad inanem diuinarum ostentationem sibi per die mutant. Itaque initio nostrorum Parrum pannosas vestes minus aequis oculis adspiciebant, eosque urgebant, ut saltem in Principis conspectum, ac presentiam venturi, vestes mutarent; quod eum vestitum Monachorum esse dicebant. Quibus P. Possevinus ita respondit, ut Monachos plurimi a se fieri ostenderet; ex eorum tamen ordine se negaret esse; morem autem esse latinis sacerdotibus ad vestiendum auro, argentoque non vix universum vero ad templorum ornatum conferre; Quo responso Moschi, qui instabant, ut Nostri vestes mutarent, ijs amplius molestiam exhibere desisterunt: visque ipsi sunt non nihil de insano illo studio remississe; cum enim nouis semper antea vestibus iudici apparerent, iam non nisi domo exituri vestes mutare cœperunt. In Reges mirum obsequium, mirum est obseruancia; adeo ut eos opinione quadam luxuriantis colere videantur: ipsos scire omnia, posse, habere

habere omnia sibi persuadent; illamque vocem crebro usurpant; Deus, & Magnus Princeps norunt omnia. Cum alii bene precantur, aut quid assuerantius affirmant, illud habent in ore, Ita sit felix Magnus noster Princeps. Similiter cum apud illos regionis alicuius mores, & instituta laudantur, aut nouum quid exhibetur; cum quodam fastidio respondent, Magnum Principem nosse illa omnia, multo que plura bis habere. Regis causa nullum periculum recusant, eiusque imperio alacres eō proficiscuntur unde nunquam sibi redeundum putant. Ducis sese mancipia prifitentur oniuersi; & quidquid aut rei familiaris, aut liberorum habent Magni Ducis se beneficio possidere. Nobiles qui vocatur, iij Principis famulatui propriè sunt addicti, quorum magnum, tum domi, tum militiae numerum Dux habet; iij modo ut pro Duce, vilissima quæque munera obire soliti sunt. Hanc populorum fidem, & obedientiam illustriorem etiam reddit ipsorum severitas Regum, qui viros nobilissimos, & tateque venerabiles temere necari, aut seruilem in modum virgls cædi iubent. Illi vero humi sese prosternentes, non ante surgunt, quam lictor cædendi finem fecerit. Neque tamen sic accepit à Duce, aliqua in illum malevolentia suffunduntur, aut obscure maledicunt; contra vero ubi sese dat occasio, Ducis clementiam multis laudibus celebrant. Tantam autem apud populos auctoritatem Principes maxime sibi specie quadam pietatis conciliant. Is enim, qui hoc tempore in Moschouia regnat Ioannes Basilij, de nocte dicitur surgere ad precationes matutinas,

R 3 tinas,

tinas, & quotidie missæ sacrificio, & vespertinis pre-
cibus interesse; aiuntque illum reicaußam quærenti-
bus respondere, Numquid nos innocentiores Davide
sumus? quid ni igitur de nocte cum illo surgamus
ad confitendum Deo, lectumque nostrum lacrimis ri-
gemus, & panem cineri, lacrimis potum misceamus?
ducentos circiter pauperes idem alit quotidie; qui-
bus singulis manœ Dengam erogat (ea denarij quarta
pars est) ad vesperam duos ceruisia calices miscet.
Quibus rebus ita plebis oculi perstringuntur, ut Prin-
cipum vitia, vel non videant omnino, vel excusent,
& meliorem in partem interpretentur. Fœminarum
summa custodia est: nobiles enim matronæ rarissime,
octies, ad summum decies, quotannis præcipuis
festis ad templum egredi permittuntur. Virgines nisi
qua die communicant, reliquo tempore publico ca-
rent. Annos Moschi numerant ab ipso mundi exor-
dio; præsentemque annum, qui à Christi natali est
M D L X X X I I . ipsi septimum millesimum no-
nagesimum primum numerant ab orbe condito; eius-
que initium capiunt à Kal. Septembri, quem diem
publica lætitia, faustisque omnibus celebrant. Sug-
gestum in foro excitatur, in quod Metropolitanus, &
Dux condescendunt, ibique æstati nuncium se dicunt re-
mittere. Metropolitanus aquam ritu solemni bene-
dicit, eaque Ducem, populumque circumfusum ad-
spexit, atque tum ipsum Ducem, tum filios eius cru-
ce lustrans, longam ius, felicemque vitam precatur,
populusque similiter magnis votibus clamat: Ma-
gnus Princeps noster, eiusque liberi sint diutissime
super-

superstites, ac singuli festis salutationibus longam in-
uicem vitam ominantur.

Ante annum circiter quingentesimum Moschi in-
fanam Gentilium Deorum superstitionem secuti sunt.
Christianam religionem à Græcis suscepserunt, Vo-
ladimero regnante; eo ipso tempore, quo Græci à
latina ecclesia nefariè descivierunt: atque ob hanc
ipsam caussam Patriarcha Constantinopolitanus
à Moschouiae Duce quotannis aureis quingen-
tis donatur, grati animi ergo. Quo factum est ut
cum Christi fide Græcorum etiam errores imbibe-
rint, plurimosque eorum ritus adhuc teneant. Spi-
ritum enim sanctum, tertiam diuinæ Trinitatis
personam, ab uno Patre procedere impie credunt;
filiumque ad dextram, Spiritum sanctum ad Pa-
tris lœuam considere: id quod etiam, dum sese cru-
cis muniunt signo, Moschi exprimunt, qui dextra
frontem contingentes, In nomine Patris, inquiunt,
tum ad dextrum humerum manu relata, & filii,
aiunt; inde ad sinistrum, & spiritus sancti; dicunt
enim tres illos Angelos, quos in sacris litteris Abra-
hamo apparuisse legimus, diuinæ Trinitatis imagi-
nem representasse; ac Patrem medium, hinc, &
hinc dextra filium, sinistra Spiritum sanctum fui-
sse. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ex fer-
mentato conficiunt, idque sub utraque specie, cali-
ci diuini sanguinis pane infuso colearibus populo
diuiditur. Latinam ecclesiam odio plusquam Græco
detestantur: nam cum nullæ in Deum, Diuosque
blasphemiae inter eos audiantur; dirissimæ tamen

R 4 exse-

exsecrationis loco latinam fidem inimicis imprecantur. Hec, & alia de Græcis multa initio Moschos accepisse verisimile est: post rerum diuinarum negligentia, & ignoratio, ut fit longe plura inuexit. Nulla enim sunt in Moschouia gymnasia, in quibus liberalibus doctrinis iumentus instituatur: nulli item sacri Doctores, qui populum pro concionibus erudiant: Moschorum doctissimi habentur ijs, qui Rhenicas litteras calleant. Orationem Dominicam per pauci nouere: Symbolum Apostolorum, decem capita veteris legis, Salutatatemque Angelicam paucissimi. Christianæ præterea religionis, eam unusquisque habet cognitionem, quam domesticam, puerilique institutione cum nutricis lacte hauserit. Nouum, ac vetus testamentum summa cum religione suscipiunt, sic, ut eius volumen attingere non audeant, nisi ante se crucis signo expiauerint. quattuor item Concilia generalia, quattuor euangeliorum numero prope ducunt. Moltos etiam ex sanctis Patribus Græcis, Latinisque in Rhenicum sermonem conuersos habent, D. Gregorium Pontificem, Basilium, Chrysostomum, Damascenum, aliosque, quorum homiliae celebrioribus festis populo e suggestu leguntur. Ex ijs quos in Diuorum numerum relatós latina ecclesia venerat, Moschi multis agnoscunt. In his Diuum maxime Nicolaum Myreæ Episcopum colunt; cuius imago in urbe Moschia plurima edere miracula dicitur. Præter Diuos autem, quos cum latinis venerantur, habent Moschi omnis etatis plurimos Martyres, Episcopos, Monas-

Monachos, quos à se projectos in cælam gloriantur, eorumque corpora integra summa cum religione custodiunt, multaque supra humanas vires effici per eos persuasum habent. Quanquam cum Novogardix P. Possevini rogatu Archiepiscopus sepulchra, in quibus Voladimerum, is, qui Moschorum primus Christiana sacra complexus est, ac Nicephorum quemdam miraculis celebrem adseruari dicunt, aperuisset; quantum coniisci potuit (vix enim adspiciendi potestas fuit) non illa vera corpora, sed lignea sunt, vestibus induita, & coloribus depicta. Sanctos vero, licet non iisdem fere, quibus nos diebus; sacris tamen anniversarijs colunt. Nam festum sanctissimæ Trinitatis feria Pentecostes secunda celebrant, quo die tempora ramis, frondibusque exornant, Sacerdosque sex, & triginta longissimas precatio- nes canit, populo interea strato, ac fronte humum verrente. Diem sanctorum omnium in medianam Quadragesimam coniiciunt: Kalendis autem Novembris Sanctorum Cosmi, & Damiani natalem agunt. V. I. Idus D. Michaelis Archangeli memoria colitur. Ipsæ Idus S. Philippo sacre sunt; dies xvii. Kalendarum Decembris S. Mattheo Apostolo, festus est. Mense Maio biduum Manibus mortuorum parentant, eamque celebritatem Prandium vocant animarum. In sepulchris candelas, facesque multas accendunt; inde Sacerdos cum ture, ac precatione sepulchra obit, molamque inspergit (ea ex melle, aqua, triticoque conficitur) cuius partem libat Sacerdos, ceterique qui adsunt. Defunctorum quoque

que cognati panem, variaque cibaria super rium
lum apponunt, quorum dimidiam partem sibi su-
mit. Sacerdos reliqua in pauperes, ministros
que diuiditur, locupletiores autem Sacerdotibus
etiam, aut certe pauperibus epulum dant, qua
quidem à Moschis fieri mirum est, cum iij Græ-
cos imitati nullum esse Purgatorij locum putent, in
quo piorum animi tantisper igne crucientur, dum
ab omnibus criminibus expiati euolent in cælum.
Eodem mense xij. Kal. qui dies S. Helenæ, Con-
stantinoque Imperatori est dicatus, aliam habent
longissimam supplicationem, qua totam ciuitatem
lustrant. Hanc prosequi Dux ingressus paullo
post domum reuertitur. Diem vero Palmarum
singulari cœrimonia celebrant. Metropolitanus in
equum tela instratum adscendit, frenum Dux te-
net, aut si absit is, filius, Senatorue nobilissi-
mus. His obuiam procedunt multi cum vehicu-
lis, in quibus sunt pueri psallentes: ipsa autem
vehicula arboribus ornant, unde poma omnium ge-
nerum, que fert anni tempus, suspendunt; atque
hoc ordine populo vniuerso prosequente ad ecclæ-
siam pompa deducitur, in qua celebritatem pera-
gunt. Dux autem ob id obsequium, quod Metropo-
litano præstat, centum rublonibus, idest scutatis cir-
citer ducentis, ab eodem donatur, siue adfuerit ip-
se, siue vicarium dederit. Verum de his hactenus.
Multæ enim alia sanctorum festa, vel in alios men-
ses, diesque incurruunt; vel alio ritu cœrimonia-
que apud illos celebrantur, & apud nos. Porro die-
bus

bus festis Moschi à negotijs, corporisq. laboribus non feriantur: putant enim ijs non opus; sed peccata interdici: externo autem cultu, ac celebritate dumtaxat dies festos colere, Iudeorum esse dicunt, quorum cærimoniæ sint abrogatae: cessationem vero ab opere locupletibus, ac religiosis præcipi; pauperes autem cum vivant in diem, à labore cessare non posse. Itaque omnibus diebus vel Resurrectionis, Natalisque Domini opus promiscue faciunt: uno excepto Annunciationis die, quem diem religiose colunt, sanctumque habent. Sacrarum imaginum summa est veneratio, ex quibus pietatis, votique caussa, numeros aureos, cruces, candelas, aliaque munusculæ suspendunt. Cruci tamen Christi Domini præcipiuus bonos, cultusque est; cuius quocunque oculi incidunt, in compitis, foribus, templorumque fastigij multa signa cernuntur: bas crucis imagines eminus venerantur caput demittentes, seseque crucis signo munitentes (is enim in adorando Moschorum mos est, neque genua unquam flectunt) dominus etiam ex equis adorandi caussa descendunt. Illud vero maxime gentis pietatem commendat, quod omnibus rebus agendis crucis signum premitunt. animaduersum est à nostris, dum Statimæ versarentur, fabros murarios, qui arcem construebant, non ante manus operi admouere solitos, quām sese ad omnes cruces, quæ in templorum fastigij constitutæ sunt, convertissent, iisque cultum legitimum exhibuerint. Domum ingredientes crucem, siue sacram aliquam imaginem (quas in omnibus domicilijs, loco honestissimo

stissimo collocare solemne est) rite venerantur pri-
mum, deinde reliquos salutant. Quod si forte crux,
aut imago nulla sit ab omni cultu, ac veneratione
abstinent, ne pariei honorem illum tribueret vi-
deantur. Accidit sepe ut, cum nostri accubituri
mensam de more benedicerent; Pristaui ad fenestras,
vnde crucis alicuius prospectus esset, accurrerent, aut
certe cruces, quas secum gestarent (Moschis enim om-
nibus æque summis, atque insimis cruces è cervice su-
spendere mos est) promerent, ad quas suum ipsi cul-
tum, precesque adhiberent. Quod si imago nulla fuisset,
precationem omnem omittebant, ac reluti se pur-
gantes aiebant cum primum nacti essent imaginem,
suis etiam se precibus usures. Cibos per signum crucis
non consueuerunt expiare; contra ihs sese expiant: si-
milter cum quid porrigunt, eo si profanum est, crucis
signum exprimunt, si sacrum, frontem, ac tem-
pora religionis caussa contingunt: consuetudo autem
osculandi ea, quæ dant, accipiuntue, apud eos nul-
la est omnino. Sanctorum autem imagines pingunt
singulari modestia, & grauitate, abominanturque
imagine illis, quæ aut Rhutenica inscriptione ca-
reant, aut membra corporis indecora nudata ha-
beant; non sine aliqua nostrorum pictorum repre-
hensione, qui dum ut artem suam ostentent sum-
ma pectoris, crura, ceteraque partes nudant; la-
sciucas potius, quam piis imagines pingunt. Ha-
bent Moschi stata ieuniorum tempora, quibus car-
nibus, lacte irūisque abstinent primum in quadragesi-
ma Launorum more, quam ipsi post sexagesimam
in-

inchoant, abstinentque carnibus: post Quinquagesimam vero etiam ouis, lastambusque mox a Dominica Trinitatis (cuius diem feria secunda Pentecostes celebrari demonstratum est) usque ad festum SS. Petri, Paulique Apostolorum, & ex Kal. Augusti, quem illi diem funes vocant S. Petri, ad usque festum Assumptionis B. Mariae. Postremo in Adventu cuius initium sumunt ex Iribus Nouembbris (qui dies ut ante dixi, S. Philippo sacer est) ad Natalem usque Domini. Per hebdomadam vero quartam, & sextam feriam, diem praeterea decollationis S. Ioannis Baptistae, & exaltationis S. Crucis, eodem modo sine carnibus, lactariisque traducunt; excepta Paschatis hebdomada, ac tempore, quod inter Natalem, Epiphaniamque intercedit, quibus temporibus perpetuo carnibus vescuntur. Ceterum neque festorum dierum vigilias vllas, neque anni quattuor tempora obseruant. Sed neque ijs ipsis diebus, quibus ipsi ieunant, verum, ac legitimum ieunij ritum, legemq. seruant. Nam modo carne, ouis, lacteque abstineant; licere cuique putant, quoties libuerit die cibum capere. Verum cum sacram Eucharistiam sumpturi sunt (id quod singuli ad arbitrium suum faciunt, propterea quod apud Moschos nulla eius rei lex est) cum igitur communicaturi sunt, secundam, quartam, sextamque feriam sine vlo cibo transigunt; tertia vero, et quinta feria semel cibum capiunt; peccataq. saecordoti confessi, sabbato demu die Christi corpus fuscipiunt. In uniuersitate Moschouia inges Monasterioru multitudo cernitur, adeo ut in duabus ciuitatibus Moscho-

vllas,

sia, et Nouoguardia 144. cœnobia numeratur: vnu ex his in Boristenis ripa situm nostri perlustrarunt. Ad templum gradibus adscendebatur; in eius vestibulo culina & cœnatio fuit, mensis circum instructa angustis, quibus ab uno latere discubitur. In area spatiose, cubicula visebantur multa certis interuallis inter se disiuncta, ceterum fumosa, ac sordida. Nullus ibi lectus, nulla tabula, aut sedes, præter eas, quæ circum Hypocaustum parieti sunt affixa, quibus pro tabulis, lectisque cubicularibus vtuntur. In his cœnobij magnus Monachorum numerus est, alibi centum, alibi ducentorum, alibi trecentorum. In Monasterio certe S. Trinitatis, iucis ultra Moscouiam xx. trecentii quinquaginta Monachi habitare dicuntur; verum densis adeo ignorantiae tenebris obcæcati, ut ne cuius quidem sent familiæ norint. Interrogati quid inter precanum dicerent; responderunt: Domine Iesu Christe fili Dei viui miserere nobis (nec enim ijs in locis mentalis orationis est iesus) quam etiam precationem ad certum numerum recitant, precarijs globulis in coronæ Rosarijue speciem insertis. Cultu corporis non sunt absimiles nostris Monachis; vestibus ferruginei coloris vtuntur. Viçtus tenuissimus ex sale, pane, piscibusque, quos ipsimet capiunt: carnibus omnino abstinent: Iisdem æquilater calibatus indicitur. Solent ex Monachis muliti ad finitimos populos identidem proficisci, vi ijs euangeli veritatem impertiant; quorum aliquot à Scythis, Tartarisque religionis caufsa imperfectos Moschi

Moschi pro Martyribus venerantur. Episcopi de Monachis adsumuntur, quibus similiter, atque Monachis carnium, nuptiarumq. usus omnis interditur. Hos eligit Dux, Episcopi autem duo, tresue consecrant. Tempa Sanctissime colunt, sic, ut ea, his, qui libidinum imaginationes in quiete sint passi, intrare fas non sit. Sunt autem tempa crucis in speciem constructi, duabus quasi alis, ut in antiquis templis videmus, ab utroque latere prominentibus, naues vulgo appellant. Murus in medio templo clerum à reliquo populo diuidit. huius muri frons ianuas habet duas, quarum altera, quæ Regis dicitur nunquam recluditur, nisi cum ea panis in sacrificium Missæ preparatus cum supplicatione effertur. in adyta nemini præterquam clericis patet ingressus; ibi procul ab oculis profanorum diuina mysteria peraguntur. Inter ianuas quod est spatij, totum id tabellis pictis Sanctorum conuestitur. Nullæ in templis exhedræ, nulla organa sunt; pueros tamen habent Symphoniacos, qui modulatis vocibus inter sacra concinunt; clerici vero perpetuo stantes, alienariibus quasi choris preces recitant. Tempa ingredientes Moschi genua non submittunt, sed caput, humerosque inflectunt, sequæ signa crucis frequenter expiant. Aqua benedicta in templi foribus non adseruatur, eam tamen veluti virtutis expertæ remedium ægrotis dant bibendam. Hæ sunt Patres, fratresque carissimi, quæ de Moschorum moribus addenda hoc loco existimauit, ut videatis præter Summi Pontificis

ficiis obedientiam, quam pauca desiderentur; quomodo
nus i populi Catholici sint; atque eo enixius pro ipsius
Deum deprecemini, quo maiore miseratione
digni sunt iij, ad quos Catholicæ verita-
tis lumen nunquam peruenit,
quam qui se ab ea volentes,
scientesque disiunxe-
runt.



PRO-

PROVINCIA

PERVANA.

PROVINCIA Peruana in India Occidentali ad polum antarticum sita, patet in longitudinem mille passuum millibus; que tamen tanta sui magnitudine vix octauam immensissimam orbis partem attingit. Ea quinque Collegijs constat, Residentijs duabus: in quibus sociorum numerus est centum triginta trium, In Collegio Limensi septuaginta. In Cuzchensi duorū, & viginti, In Potosino sexdecim, In Aquipensi decem. In Residentia Iuliensi tresdecim; In Residentia sancti Iacobi duorum. In Societatem nomina dederunt septemdecim; vita migrarunt tres. Munera, laboresque nostrorum in hac Prouincia cum in Hispanos in officio continēdos; cū in Indos conueriendos distributi sunt: ita enim Indorū salutē nostri procurant, ut interim Hispanos non negligant; propterea quod tum demū Indis Christiana videtur probari posse Religio, si eam nōn viderint cum veterum Christianorum moribus, vitaq; pugnare; quam etiam ob causam in Hispanorum filijs doctrina, pietateq; instituendis nostri plurimum inuigilāt; ut ex ijs, postquam adoleuerint, Sacerdotes deligi possint, qui rem Christianam apud Indos promoueant. Verū quemadmodum ea Prouincia Indorū præcipue causa constituta est, ita etiam maximè ad eos iuuādos opera datur à nobis. Qui fru-

Sctus,

ctus, quo ad plures pertineret; fecerunt nostri, ut ip-
sorum linguas addiscerent, quæ multæ, & difficiles
sunt: quamquam post inuentam earum linguarum
methodum, discēdi labor magna ex parte imminutus
est, sic prorsus, ut vel mediocri adhibita diligentia,
duorum, triumq; mēsium spatio, singulas comparare
quisque possit. Itaque quinquaginta iam de nostris
communem Indorum linguam tenent, quæ ad vices
centena passuum millia usurpatur; multi etiam alte-
rius cuiusdam magnæ Prouinciae, quæ Collao dicitur,
propriam sibi linguam compararunt: nonnulli vero
ut rudibus, qui communem linguam ignorant, prodes-
se possint, Puguinarum linguam didicere. Atque in
bis linguis conciones, catechismi scholas habent, con-
fessionesque audiunt; qua in re ita Deum habent pro-
pitium, ut non illi modo, inter quos viuunt, quiq; His-
panorum vecigales sunt, sed è remotis regionibus ad
nostros veniant, ut veritatis viam cognoscant; multi
etiam in suas regiones nostros invitant, omniaque ne-
cessaria summa cum amoris significatione deferunt:
quorum aliqui miraculo ad christiana sacra capessen-
da sunt impulsi. Quo in genere res accidit litteris di-
gnissima. Cu[m] chum Ciuitas quondam Ingaram fuit,
quæ nunc Hispanorum imperio subiecta est, in qua e-
tiam vrbe Societatis est Collegiū; ab ea procul quin-
decim dierum itinere Prouincia quædam visitur
amplissima, armis, diuitijsq. præpotens, cuius ampli-
tudo leucas dicitur colligere quingentas. Ad hanc
Prouinciam cum Christiani quidam fugeret, unus ex
ijs intersarcinulas Crucifixi imaginem fortè conie-
cit:

cit : qui cum postea ad illius Provinciæ Metropolim peruenisset, multiq. admirabundi quereret curiosus quid illud esset, respōdit illum esse Christianorū Deū. Quæ res hominum sermonibus celebrata ad Principis aures peruenit ; is eadem videndi cupiditate inductus , in aream palatiū cum trecentis circiter viris processit, hominemq. sibi cū imagine fisti iussit. quam cum in manus sumpsisset , diligenter contemplatus, Hiccine, inquit, Deus est Christianorum? Ille ipse, Indus inquit . Tum Princeps, aī tu ? hiccine Deus est, quo adiutore Christiani Ingas, totumq; Regnum Peruanum subegerunt ? Cum Indus affirmaret: At hic Princeps homo est, ait, omnibus cruciatibus necatus ; simul in imaginem expuens homini reddidit. Mirum dictu . Statim vt Indus in manum accepit imaginem, cœpit illa caput quod in dextram partem inclinatum habebat, ad sinistram conuertere , & oculos in Principem , cæterosque qui aderant defigere ; qui omnes cōtinuò, præter eum qui Crucifixi tenebat imaginem, conciderunt, ac tres horas sine sensu , & spiritu mortuis similes iacuerunt . Quos cum populus mortuos existimaret, ingens tota vrbe luctus excitatus est; Interea Princeps, ac deinceps cæteri ad se rediens, surgensque exclamauit, Verè magnus est Christianorum Deus ; reliquisq. omnibus stupore quodam defixis, pœna capitis proposita, edixit, ne quis in posterū Christianorum Deum blasphemaret: atq; extructo, exornatoq; iuxta palatium Sacello, ibi Crucifixi imaginem collocari, atque ab omnibus adorari iussit. Postea cœpit Princeps querere subilius de transfugis, quis es-

S 2 ses

set Christianorum Deus, quæue eius colendi ratio; cum illi rudes se, & ignaros faterentur; esse autem Cuzchi Patres quosdam (nostros videlicet intelligebant) qui mira de hoc Deo loquerentur, Indosq. cum omni humanitate erudirent, Princeps eos adire constituit, consilioque habito cum suis, vir se cum filio uno sexenni commisit, sex tantum è Dynastis, atq; duobus ex transfugis comitantibus, culiu etiam corporis, vestibusque mutatis ne posset agnosci. Itaque cum Cuzchum peruenisset, usus internuncio Hispano quodam nobili, alterius è Transfugis affine, P. Rector rem conuenit, eique se, suique aduentus causam arcando aperuit, rogatque vi aliquos mittat, qui suos populos Christiana religione, præceptisque informent. P. Rector gratissimum sibi nuncium illum ostendit, paratumque se, suosque ad illi obsequendum: verum si ne Superioris potestate ab eo loco commoueri non licere; neque ab Superiore, qui passuum millibus quadrungentis abesset, ante duos menses responsum haberi posse. Princeps veritus ne nisi ad conditam diem reuertisset, ante aliquid à suis domi turbaretur, constituit proficisci; relictoque filio suæ fidei obside, vi Christiana religione institueretur, baptizareturque proficiscitur. Post duos menses adest iterum bonus viisque Princeps, inuenitq. responsum à Superiore datum, ingressum ad eos modo non patere; in posterum tamen deliberaturos quomodo eis consulatur. Conturbauit nonnihil hoc responsum Principis animum, atque tum ægritudine, tum itineris labore, homo præseruum ætate iam affecta, in morbum incidit, morti q; proxi-

proximus postulauit, ut baptizaretur, filioque cum suis domum remisso ipse iam baptizatus, magna cum pietatis significatione spiritum Deo reddidit. Hinc tamen speramus fore, ut magnus pateat aditus ad illius Regni conuersionem, præsertim cum ea Prouincia iam ex alia parte incipiat nota esse, nostriq. à Sancte Crucis Gubernatore (quæ Ciuitas ab ea Prouincia proxime abest) ad inferendam illis populis Euangelij lucem inuitantur. Eo tamen adhuc nemo nostrum profectus est, ob paucitatem operiorum. Licet enim huius Prouincie populi ferè omnes baptizati sint; paucissimi tamen reperiuntur, qui ea norint, quæ Christianum hominem scire oportet: multi etiam inter ipsos pro Christianis se gerunt, qui tamen nunquam baptismum suscepereunt; quos videlicet omnes, & erudire debent nostri, & Christianis moribus conformare, quod Deo dante præstant, cum singulari Indorum fructu, & voluptate. Hæc initio de Prouincia in uniuersum perstringenda esse duxi: iam ad Collegia singula veniamus.

COLLEGIVM LIMENSE.

Limense Collegium domum habet adiunctam probationis; ac separata habitatione, studijsq; dissimilibus veterani, Tyronesq; ad eandem sui perfectiō nem, salutemq; animorum incumbunt. Quam nobis animorum segetem, suppeditat ipsa urbis celebritas, que quod Proregum sedes est, plurimos semper habet incolas ex varijs regionibus, Hispania, India,

S 3 Aethio-

Aethiopia. Omnino magna est in ijs locis, de Societatis doctrina, virtuteq. opinio: quam ad rem non mediocriter consert Proregis, & Archiepiscopi benevolentia, qui suis in nos officijs Societatem in existimationem adducunt apud omnes. Itaq. vocantur saepe nostri, ut conciones habeant in æde maxima, & reliquis paræcijs, sacrarumq. virginū Cœnobij: quibus concionibus inducti aliquot, totius vitæ crimina confessione expiarunt. Idem etiam adhibentur ad agrotos iuuandos, confirmandosq. illos, qui capitis damnati suppicio publico pendent pœnas: ex eo genere tres Angli Piratæ cum ad mortem ducerentur, nostros Sacerdotes postularunt, ac pœnitentiæ sacramento expiati, vitam catholicè finierunt. Quidam cum ad confessionē diu fictè accessisset, ad extremum in morbum incidit, vnumq. de nostris vocari iussit, qui suam confessionem exciperet, is peccata confiteri exorsus, subito concepta desperatione conticuit Patremq; à se expulit, quod diceret nil iam sibi confessionem profuturam: verum cum domi nostræ multæ pro eo preces, missæq; Deo essent oblatæ, tertia die ad se rediit, & confessionē multis cum lacrimis fecit, honestamq. vitæ rationem instituit, in qua laudabiliter perseverat. Alius item cum diu pœnitentiæ, et Eucharistia sacramento abusus esset, tandem vni de nostris confessus, ita in prioris vitæ odium exarsit, ut religionem ingredetur, in qua pro suis sceleribus satisficeret. Nonnulli etiam cum morbis grauiissimis periclitarentur, nostros accersierunt, qui confessione peracta, sacrarum reliquiarum ope diuinitus conualuerunt. Ex

quorum

quorum numero mulieres duæ, quarum altera quod tertium iam diem mortuū puerum in vtero gestaret, altera quod in partu se in transuersū infans posuisset, ad extremū vitæ periculū adductæ erant, criminibus absolutæ, sacrosanctæ Crucis ligni tactu, præserti periculo sūt ereptæ. Quibus rebus nō mediocriter Dei cul tus, et reliquiarū veneratio apud Indos augetur. Confessionum, communionumq. nostro in templo, cum reliquis dominicis, festisq. diebus, tūm Iubilæi temporibus magna frequentia cernitur, non Hispanorum modo, sed etiam Indorum & mancipiorum ; qui ante ab Eucharistiæ sacramento arcebantur ; primi q. nostri eos ad tantum mysterium præparare, & admittere cœperunt eo euentu, fructuq; vt concioni missæque sacrificio diebus festis mane intersint, & à prandio ad Christianam Doctrinam descendam frequentes conueniant. itaque hoc anno ex Indis multo vberiores quam antea fructus reportati sunt, vel quod ijs collendis multo plures de nostris vacarunt, vel etiam quod ipsi, eorumque parochi, nostrorum doctrinam ac diligentiam experti, Societatis opera libentius vuntur ; Quare ex remotis etiam oppidis concionum, confessionumque causa ad nos veniunt, atque in sua similiter oppida nos inuitant; daturque à nostris opera vi nulli desint : beneficiis & Idolorum Sacerdotibus terrorem incutiunt, vt à decipienda multitudine desistant ; reliquos in suscepta religione confirmant, & ad omnia Christiani hominis officia erudiunt. Et quamvis Indi qui in hac Civitate, eiusque agro habitant, Christiani omnes sint, atque inter eos nulli vel

S 4 pau-

paucissimi Ethnici numerentur; tamen sunt aliquot, qui sine baptismo ad adolescentiam peruererant, ex quibus hoc anno septem baptizati sunt a nostris: quorum etiam opera nonnulli matrimonio nefariè inter se coniuncti, legibus soluii sunt. Multæ etiam generales confessiones auditæ eorum qui nunquam integrè fuerat confessi. Indi enim hactenus tum ignoratia tum vero pudore deterriti, in cōfessionibus leuisima quedā dicere soliti erāt; quæ vero ipsis paulo grauiora videbantur, omnino reticebant; verum edociti quantum scelus in se admitterent, nostrorumque humilitate inducti, vltro iam peccata omnia rite detegunt, permittuntque libere nostris vi de ipsorum rationibus suo ipsis arbitratu constituāt. Itur præterea ad publicum valetudinarium, quod in ea vrbe institutum est amplissimum, ubi etiam nouitij ex instituto Societatis exercentur, probanturque magna cum Indorum approbatione, quorū animis, atque corporibus, quantum in ipsis est, prospiciunt. Hæc vero cum Indi vident, mirantur videlicet, Societatemque amant plurimum, eique sua omnia tuto se committere posse arbitrantur, quod tamen se cum alijs non ausuros ingenuè confitentur. Quare tantus iam est numerus eorum, qui apud nostros sacramenta frequentant, vt operarij duodecim (tot enim sunt pro Indis destinati) non sufficiant: qui etiam pietate, fidei que ardore, non cum Hispanis modo sed cum Religiosis etiam videntur certare. Præcipue vero ipsorum religio cernitur in suscipiendo Eucharistie Sacramento, ad quod præcipuis anni festis, nec non Beatæ Virginis diebus, ali-

quot

quot dierum ac mensium ieiunijs, precibus, verberationibus, eleemosinis, alijsque pietatis operibus, diligenter se comparant: quod si cui per inopiam corporis infirmitatem, ea praestare non licuerit, mærore animi, et ægritudine penè contabescit. Itaque ea præparatione proximo Pentecostes festo ingens eorum numerus Christi corpus suscepereunt, cum longè plures sub ferias Resurrectionis communicassent: nostri enim unicuique ex morum emendatione, virtutisq. progressu, communicandi tempus constituunt. Porro qui ad sacrum illud Christi corporis coniuinum adhibentur, iij longè ceteris pietate, zeloq. præludent: nam concionibus, supplicationibus ijs, quæ catechismi caussa fiunt, frequentes intersunt, egenis benignè faciunt, ceteros ab ebrietate, & Idolorum superstitione deterrent, ad confessionem, ceteraque pietatis officia adhortantur. Idem feria sacrosanctæ hebdomadæ quinta, supplicationem de more instituerunt: in qua tam acriter in se ipsos verberibus scuierunt, ut aliqui intermoreretur, cum eorum ardor à nostris reprimi non posset. In festo autem corporis Christi Indi omnes, qui nostrum templum frequentant, Hispanorum supplicationem præeuntes ipsi comitati sunt, ea vultus corporisq. modestia, vestium, & vexillorum ornatu, ut cum ceteri omnes qui aderant, tum vero Prorex Indorum pietatem, Societatisq. in ijs instituēdis industriam, illustri testimonio commendaret. Inda quædam mulier nobilis, & Christiana filio ægrotate, magum aduocauit, ut sacrificijs quibusdam ex Ethnicorum superstitione adhibitis, sanitatem illi restitueret; sed contra, quam mulier exi-

stima-

stimabat res cecidit, statim enim filij morbus cœpit
ingrauescere, quare perterrita, & filij periculo, &
consciētiæ stimulis impulsa vnum de nostris adiūt, cui
rem totam exponit, dolere se dicit quod veneficum
adhibuerit, eandē enim ob causā iam duos filios ami-
sisse, tertium non longè à morte abesse, proinde roga-
re, vi si quam potest opem sibi ferat; Pater mulieri
confessionē suadet, seq. pro filio sacrum facturū pol-
licetur, mira res: puer continuò præter spem omnem
conualuit; mater vero in religione confirmata, nouā
vivendi rationem est ingressa. Alius cum à Christia-
nis sacris, ad Idolorū cultum, & veneficia iterum de-
fecisset, atq. per annos triginta, multos mortales de-
cepisset, visus est sibi nocte quadam videre hominem,
tetro vultu, truciq. aspectu irruentem ut ipsum suf-
focaret, qui etiam peccata omnia quæ commisisset illi
obijciebat, ob quæ Dei iudicio sempiternis ignibus ad-
dictum esse dicebat; cui dum Indus resistit, ac Superio-
ris vitæ scelera detestatur, audire sibi visus est vocē,
quæ ipsum iubebat, vnum de nostris adire, eq. pecta-
ta confiteri; fore enim alioquin ut inferorum crucia-
ribus adiudicetur, quæ cum ille facere constituisset
Dæmon abscessit: is vero postridie summo mane in no-
strum templum venit, factaq. generali confessione, in
fide, et honesta vitæ ratione, plurimū confirmatus est.
Inda quædam virgo cum in angusto loco deprehensa
esset a viro, qui virginitatem illi eripere conabatur,
cum semper virginitatē amasset, neq. ullum effugien-
di locum sibi reliquum esse cerneret, fide plena pia il-
la nomina Iesus Maria, inuocauit, quibus nominibus
non

non secus ac fulmine quodam scelestus ille ad terram afflictus est: virgo autem Deo gratias agens eus sit. Hæc aliaq. multa generis eiusdem, ad confirmandos illos populos ostendit Deus, quæ studio breuitatis omit tuntur. Gymnasium nostrum in classes quinq. distributum, in quarū vna Philosophia, in altera Theologia, in reliquis latina lingua traditur. Ad scolasticorū numerū magna hoc anno facta est accessio, tum congre gatione Beatæ virginis instituta, tum nouo quodam à Prorege Collegio extructo. Vtriusque autem natalis dies, sanctorū reliquijs, quas P. Provincialis. Romæ secum aduexerat, summa omnium gratulatione cele bratus est: cui celebritati præter reliquam multitudinem, Prorex ipse cum nobilitate vniuersa interfuit. Festo autem Circūcisionis die, actio diuinitis Epulonis, mēdiciq. Lazari data est à nostris discipulis, spectate Prorege, qui etiam Societatis rationem in iuuentute instituenda, verbis grauissimis laudauit, ea actione permoti nonnulli mores emendarunt; aliquot etiam ad Religionem animum applicarunt.

COLLEGIVM CVZCHENSE.

Collegium Cuzchense duo habet templæ ad instar crucis inter se coniuncta, in quorum uno Hispani, in altero Indi coeunt, qui cum multi sint, & in Religione rudes, priuata institutione indigent. In horum templorum extirpatione maximè Indorū pietas enituit, cum ex ijs nobilissimi quique, nō modo la pides, ligna cedrina, materiamq. ceteram nobis curarent, sed operarū etiam munere ipsime fungerentur,

tanta

santa animi alacritate, ut cum Dæmon quosdā subor-
nasset, qui per simulationem amicitiae eos à tam pio
opere abducere conarentur, quod dicerent indignum
esse viros militares, & opulentos, regioque sanguine
ortos, ad huiusmodi seruitia descendere, responderint,
ea locum inter homines habere, in Dei autem causa
summae sibi gloriæ ducere vilissima quæque munera
obire. Habent in hoc Collegio nostri Græmaticæ scho-
las duas, in quibus Hispanorum filij erudiantur, cum
quibus etiam suorum laborum partem communicat;
nam conciones ad illos habent; ægrotis, carcere inclu-
sis, animamq. agentibus præsto sunt; inter se dissiden-
tes conciliat; aliaq. ex instituto munera exercent. Cū
sacerdos à iustitiæ ministro quodam, graui fuissest af-
fectus iniuria, atq. ob eam rem, interdictiones, scan-
dala, grauesq. inimicitiae secutæ essent, multoq. atro-
ciora timerentur, nostrorū interpositu omnia compo-
sita sunt, inductusq. Sacerdos, ut iniuriam illam Deo
condonaret. eadem etiam opera Hispanus alter qui-
dam vir nobilis in gratiam rediit cum inimicis, quibus
mortem, & exitium meditabatur. Alij duo nobiles vi-
ri cū multos annos grauissimis sceleribus irretiti vi-
xiſſent, tandem nostrorum consilijs ad bonam se frugē
recepérunt, ea animi inductione ut Religionem ingre-
di constituerent, si ex ipsorū salute esse confessario vi-
deretur. Hæc cum Hispanis: neq. pauciora cum Indis,
quibus in colendis, idcirco etiam nostri maiorem ope-
ram ponunt, quod cum hæc ciuitas Indorum Regum
sedes olim, & Imperij domicilium fuerit, dignitatem
adhuc suam retinet apud Indos, eiusq. auctoritatem
in om.

in omnibus sequitur; quo fit ut quidquid in eam confertur, ad vniuersas illas regiones pertinere videatur. Huc accedit quod Cuzchēses nobilitate, diuitijs, ingenioq. longè Indis omnibus antecellūt, qui cum ad alias Prouincias proficiscuntur, facile sua auctoritate, & exemplo, ceteros ad Christi fidem, moresq. Christianos inducunt. quod vel senex unus Ingarū seruus, & altera item anus ostenderunt, hic enim in Ciuitate vicinisq. locis, illa etiam in lōginquas Prouincias excurrens innumerabiles à superstitionum tenebris, ad Euangelij lucem perduxere. Quid autem futurū sperramus si se viri nobiles, et prudētes ad animas lucrandas contulerint? Nostrorum vero ratio in Indis instituendis hæc est; singulis dominicis, festisq. diebus. Indi summo mane in nostrorū templum ad rem diuinam audiendam conueniunt, qua peracta, exhortatio ad illos habetur: à prandio similiter ad supplicationem, & catechesim congregantur, cuius explicatio in templi area idcirco habetur, quod illos nullum templum capiat; explicationi pia semper aliquot cantica adisci solent, ut ijs addiscendis facilius Indi patrias superstitiones dediscant. præter hæc autem diebus singulis re diuina peracta aliquid è catechismo ijs qui volunt, (volunt autem multi) priuatim explicatur. Quibus rebus Indorum animi ita nobis adiunguntur, vt ex remotissimis regionibus nostros inuitent, vt ipsis Christiana sacra impertiant. Atq. interrogati aliquando cur ex omnibus nostros potissimum expetarent, responderunt, quod apud cæteros tantam benevolentiam, & humanitatē non reperierunt: tantusq. est

est confitentium numerus , ut sex operarij (tot enim sunt pro Indis constituti) satisfacere nullo modo possint, cum vix viginti satis essent : qua propter rogan-
dus etiam atque etiam Deus est, ut quamplurimos o-
perarios mittat in hos agros , qui ad messem albi iam
videntur esse .

COLLEGIVM AREQVIPENSE.

Collegium Arequipense tum Prouinciae magnitudine, tum cœli salubritate animis, corporibus que maxime opportunum est . Ac præter eum fructum, qui ex confessionibus, catechesi, alijsque visita-
tis Societati muneribus percipi solet , multo leterior fuit hoc anno messis animorum, ex casu quodam, qui ut res temporales perdidit, ita spirituales auxit plu-
rimum, sic nouit interdum Deus Opt.M. ex corporū calamitatibus animorum salutem querere . Die enim vigesima secunda Ianuarij M D LXXXII. ipso me-
ridie, subito terræmotu , ita vrbs quasi cœpta est, vt breuissimo temporis spatio ædificia omnia licet firmis-
sima terribili strage solo æquarentur : qua ruina li-
cet duo tantum & viginti essent oppressi , tantus ta-
men terror corruentium tectorum fragore iniectus est, ut velut alienata mente per urbem, agrosque om-
nes discurrent, nulla sexus, dignitatisque habita ra-
tione, cum omnes præcipiti fuga præsentि se periculo proriperent; tantusque fuit tumultus, rerumque om-
nium perturbatio , ut dies ille extremæ illius conflagrationis quam futuram credimus , imago esse vide-
retur.

retur. His omnibus accessit fames, quæ omnibus ad victum necessarijs ruina corruptis, æquè diuites, & pauperes miserè torquebat. Nostri interea licet malii communis non expertes, tamen initio tumultus sacrosanctum Eucharistia sacramentum opportunè in plateam extulerunt; in ipso autem tumultu adesse omnibus, verbis miseros consolari, confessiones audire, omnibus omnia, ut tempus postulabat fieri. Supplicationem quoque instituerunt ad Deum placandum, in qua multi ad sanguinis profusionem se ceciderunt. Pater vero Rector concessionem temporis accommodatam habuit, qua populum consolatus est, & ad spem in Deo collocandam excitauit. Itaque tantus fuit ad confessionem concursus quantum ex præsenti terrore, & periculo existimare quisque potest. multaque vitia, & prauæ consuetudines inueteratae, penititus deletæ sunt.

COLLEGIVM POTOXINVM.

Collegio Potoxino nomen dedit Potoxius mons argenti fodinis nobilissimus, hic ad Antarcticum spectat, distatque ab AEquinoctiali gradibus viginti, in altitudinem assurgit passuum tribus millibus, ambitus colligit passuum circiter quinque millia. In eo quatuor sunt argenti venæ duarum vlnarum latitudine, trecentarum profunditate, quæ ab Oriente in Septentrionem diffusæ, innumerabiles ex se ramos efficiunt. In hoc argento eruendo infinita vis hominum occupatur: nam præter Hispanos quorum numerus

est

est quattuor millium; Indi censemur ad triginta milia, qui cum uxoribus, filiisque summam efficiunt million octoginta: ut alios taceam innumerabiles, quos ex totius mundi partibus per immensam terrarum spatia insanus amor diuitiarum pertrahit. Ex hac hominum colluione, & licentia quam diuitiae subministrant, maxima, turpisimaq; scelera existunt, in quibus tollendis non minus nostri, quam ceteri in argento effodiendo laborant; qua in re (quod Dei beneficium est) Hispanis, Indisque valde obsequentibus videntur. Itaque in rebus contrahendis vulgo ad nos concurrunt, neque rata existimant ea conuenta, pataque quae nostri non probauerint; atque ex fraudata pecunia reddita sunt hoc anno aureorum centum millia, et eo amplius: multae etiam, atrocesque inimicitiae restinctae: ex eo numero fuit contentio grauissima, quae in foro inter Iudices seculares, & ecclesiasticos, de iurisdictione exorta, unius ex nostris interuentu repressa, postea penitus oppressa est. Cum viri quinque nobiles, criminis cuiusdam falso insimulati, in carcerem cum matrona item nobili essent coniecti, unus ex ipsis vim metuens tormentorum crimen agnouit: qua confessione reliqui etiam omnes, in sumnum vitae, famae, fortunarumque omnium discrimen innocentibus adducebantur, cum autem verus auctor sceleris illius, hominum innocentium vicem dicens publico scribare coram grauissimis testibus secreto se apernuisset, unius de nostris opera omnes liberati sunt. Alius cum virum nobilem colapho palam percussisset, comprehensus manu multari debebat: verum qui iniit-

iniuriam accepit nostris deprecantibus actionem omnem remisit, atque adeo in carcerem prosectorum, hominemque amplexatus sua manu exemit e vinculis: que res ut noua, ita etiam magna omnium admiratione, & approbatione suscepta est. Quidam cum annos sex mortem inimico, & exori quæ ipsum ab ea cogitatione deducere conabatur, moliretur, neque interea confiteretur vni tandem de nostris confessus mentem mutauit. Alius similiter vi inimicum occideret a leuis mille contenderat, is audita vnius de nostris concione, atque ad confessionem eidem faciendam inductus, omnem vlciscendi animum depositus. Mulier quedam mariti pertesa, & erga alium male affecta, marito venenum dederat, vt eius morte aditum secundis nuptijs faceret, cumque illud nihil nocuisse, alterum multo priore vehementius parabat; interea cum vni de nostris vitæ vniuersæ confessionem fecisset, abiecta nefaria illa cogitatione cum marito reconciliata est. Quidam in maximis, turpissimisque flagitiis diu, multumque volutatus, sine confessione ad vitæ finem peruererat, animique sui salute desperata, nullum sanis consilijs locum relinquebat. is ab uno de nostris ad spem venie excitatus, confessionem multis cum lacrimis peregit, vitaque paulo post pie admotus functus est. Alij præterea complures, qui animi sui salutem abiecerat, Dæmonibus, Ariolisque additi quique multis annis sacramentis caruerant, ad Christianos mores, vitamque reuocati. Neque minor fructus ex Indis, quibus colendis octo de nostris operam suam nauant, ex ijs quinque singulis dominicis,

T festis-

festisque diebus, in Paroecijs, vbi solent Indi conuenire, de diuinis rebus verba faciunt: à prandio instituta per urbem prius supplicatione, catechismus in nostro templo, aut in aliqua platea iisdem explicatur; quod bis præterea singulis hebdomadis in ipso mercato, alijsque paroecijs fit à nostris; omnibus ita libentibus, vt parochi, ceterique religiosi, nostros certatim suas in paroecias inuitent: ex quibus etiam nonnulli nostro exemplo excitati, catechismi scholas habere cœperunt, fructus vero is est vt nostræ nos operæ pœnitere non debeat: & quanquam Indi omnes, qui commercij causa eò conueniunt, baptizati sint, hoc tamen anno, ad Ecclesiam adduxerūt nostri quattuordecim: ex ijs autem qui Christiani sunt amplius sexcenii sacramenta, summa cum pietate obeunt, concionibus, supplicationibusque adsunt frequentes, atque in omni officio Christiani hominis diligenter se exercent. Mulieres duæ cum ægrotos totidem humiliantes offendissent, domum quæque suam deportatos, omni diligentia, & humanitate tractarunt; nostris, medicisq; adhibitis, vt alteri corporum alteri animorum salutem prospicerent; cumque vita functi essent, eosdem tanquam propinquos luxerunt, ac sepulturam suis sumptibus, & pro animarum expiatione sacra fieri curarunt. Alia mulier vi, ac fraude parentum domo abducta, sexumque habitu mentita, turpem diu vitam traduxerat. hæc auditio concionatore nostro, à flagitiosa illa consuetudine discessit, & generali confessione crimina expiavit. Aliquot etiam mulieres à viris nefarijs, ad flagitium solicitatae, nunquam vel morte

re strictis pugionibus intetata, flecti potuere. Alius quoque crudeliter cedi maluit, quam in re turpi internuncium ageret. Indus quidam cum sacramento confessionis semper esset abusus audita concione, vni de nostris totius vitæ criminis confiteri constituit: interea in morbum incidit, eique ægrotanti Dæmon vi-
sus est defuncti cuiusdā specie, quæ ipsum deterrebat, ne nostris confiteretur, nevè eorum verbis fidem ha-
beret. Eo ipso tempore commodum accidit, vt unus
è nostris Xenodochium, in quo ille ægrotabat ingre-
deretur, quem vt vidit ægrotus statim ad se vocauit,
eique tremens visum exposuit, factaque confessione
paulò post vita deceßit. Hæc, aliaq; generis eiusdem,
plurima quotidie in ijs regionibus accidunt, quæ nu-
merare longum esset: id vero certissimum est, Socie-
tatem nostram, Indis æquè, & Hispanis gratissimam
esse, quod tum aliis, tum in templi extirpatione decla-
rarunt, pauci enim ex Hispanis duobus diebus, au-
reorum quattuor millia in eam ædificationem corro-
garunt. Indi vero coactis vndique artificibus, in tur-
mas descripti ducenteni quotidie suam nobis operam
locarunt; ipsorum Dynastis spectantibus, opusque di-
rigentibus, atque vrgentibus.

COLLEGIVM PACIS.

P Acis Collegium, anno Superiore Indorum causa
institutum est, propterea quod ex hac vrbe com-
modissimus patet excursus in vicina Indorum loca;
nostrique non urbanorum saluti solum, sed etiam pa-
ganorum prospicere possunt. Ecclesiam habent sa-

T 2 tis

tis commodam præcipuo urbis loco; reliqua ædifica-
tio urgetur strenue; qua perfecta Collegium de no-
stris viginti sustinere poterit: interea sacerdotes tres
cum fratribus totidem rem Christianam tuentur. Lu-
dus etiā litterarius apertus est, in quo pueri cum lit-
teris pietatē hauriant; eivnus præest de nostris. Qui-
bus rebus multo maius Societatis desiderium homini-
bus inieclum est; adeo ut ij etiam, qui nobis antea ini-
quiiores videbantur, nunc faueat maxime, nihilq. iam
vulgo æque cupiunt, atq; vt nostrorum numerus au-
geatur; quod breui, quæ sunt in nos horum studia, fore
speramus. Singulis dominicis, festisq. diebus catechis-
mum nostri de more docent, Indorumq. agmen suppli-
cantiū per urbē circunducit; eas supplicationes Pra-
fus ipse met cum iudicibus, alijsq. regijs ministris præ-
claro sane exēplo comitantur: multi etiam viri docti,
¶ graues tum sœculares ecclesiastici catechismi ex-
plificationibus, quæ habētur à nostris intersunt atten-
tissimi. Inda quædam mulier cum partus difficultate
tertium iam diem laboraret, desperata corporis sa-
lute, vnum de nostris vocari iussit, qui suam cōfessio-
nem exciperet; is mulierem miseratus, sacrarum re-
liquiarum thecam, quā secum gestabat, ¶ in qua sa-
croſ inct. e crucis ligni pars erat, ei imposuit. mirum
dictu. mulier statim edito partu, periculo liberata est,
ingenti propinquorum omnium gratulacione; qui hoc
miraculo multo magis in fide confirmati sunt.

RESIDENTIA IVLIENSIS.

IVLiensis Resiſtencia ſolis Indis conſtat, quorum nu-
merus eſt octodecim circiter millium; in eos nostri
omnem

omnem spiritualem iurisdictionem sacramentis admissis
strandis exercent. Paroecias habent tres, in quibus
diebus festis singulis ad concionem, diuinamque rem,
nec non ad catechismum, & supplicationes Indi con-
ueniunt; quibus rebus paullatim barbarie deposita chri-
stianos mores, pietatemq. suscipiunt. Et quoniam eius
Prouinciae messis in iuuentute vt in semete posita est;
iccirco operam dedere nostri, vt gymnasium prope
ædem nostram extrueretur, in quo pueri partim chri-
stianis moribus, præceptionibusque; partim gramma-
tica, musicisque instituuntur. Qua ex re preter fru-
ctum eum, quem futuris temporibus speramus, quod
diutissime retineatur ea, quæ in illa teneritate impri-
muntur; presentem etiam virilitatem cernimus: nam
pueri in missionibus nostros in rudibus instituēdis non
mediocriter iuuant, & parentum vitia vel corrigunt
ipsi, vel ad nosdos deferunt, atq; ad confessionem, vir-
tutesq. verbo, & exemplo non parum incitant. Mu-
lier quædam satis illa quidem erga r̄es spirituales af-
fecta, cum in nescio quod peccatum esset prolapsa, ita
mæstitia, et pudore opprimi se passa est, vt id nūquam
confiteri auderet; tandem ex ægritudine desperatione
concepta, suspendio molestias finire constituit. hæc igi-
tur meditanti, & laqueum vnde se suspenderet appar-
antii B. Virgo apparuit, quæ mulierem filiæ etiam no-
mine primum Compellans mollius accusauit, quod
pristinæ erga se filiumque suum pietatis oblita in exi-
tium rueret voluntarium, deinde grauiter increpauit
de peccato illo in confessione occultato, neq; enim ali-
ter in ipsam eam Dæmonem potestatem fuisse habitu-

T 3 rum;

rum; deniq; laqueo è collo detracto iussit cuidā de nostris Sacerdoti quem nominatim designauit peccata omnia confiteri. Mulier B. Virginis beneficium agnoscens, statim ad confessionem venit, atque in vita laudabili perseverat. Neq. solum Indorum animis, sed etiam corporibus, pro virili parte nostri subueniunt; nam preterquā quod nostra omnia illorum vīsibus semper patent; in valetudinario etiā, quōd nostris ædibus proximū ab uno de nostris administratur, omnia charitatis officia in ægrotos exhibent, atque de suis facultatibus detrahunt, quod in pauperes distribuant. His rebus mirum est, quam Societati Indorum animi concilientur, sic prorsus, vt cum hæc de nostrorum humilitate fama in remotas regiones penetrauerit, ex ijs veniat plurimi, vt nobiscum suæ conscientie nodos cōmunicet, quibus vniuersis satisfieri omnino vix potest.

RESIDENTIA S. IACOBI.

Siacobi oppidum Limæ vrbis proximū est, paruum illud quidem (familias enim conficit ad ducetas) quoniam tamen ad illud Indi omnes diuertunt, qui publicorum operum, laborumq. caussa ad urbem quotannis euocātur, vbi etiam ex Prouinciarum diuersitate singulis propria sunt domicilia cōstituta; iccirco egerūt nostri cum Prorege, vt in eo Residentia instiueretur, vt esset semper aliqui, qui rudes Indos christianis præceptis excoleret, vt operibus absoluis, politiores, doctioresq. domū redirent. Quod sane agitur a nostris ingēti cum Indorum fructu tum incolarum, tum aduenarum, erga quos nostri eadem officia omnia,

nia, quæ in Iuliensi Residentia exercent; illud amplius
in hac, quod cum singulis annis alijs alijs in opera, la-
boresque succedat, perpetua quædam missio videtur,
ac proinde fructus ad plures pertinere. Hi enim no-
strorum præceptis conformati, atque in suas regiones
reuersi, Societatem in cælum ferunt, suorum popula-
rium vitia corrigunt, omnibusq. rerum Christianarum
scientia, morumq. integritate ad virtutē facem præ-
ferunt. quorum prædicatione permoti plurimi, ad no-
stros, quos omnino non nouerant, consiliū, confessio-
numque causa contendunt. Qui autem in oppido ha-
bitant, iij & nostros amant maxime, et in pietate chri-
stiana magnos habent progressus: excurrunt etiam
in vicina loca, vt rudes Indos doceant: quo munere
tam scite funguntur, vt Indorum Parochi ijs magistris
ad exhortationes, & catechismum tradendum vtan-
tur, nostrosque rogent, vt quam plurimos mittant, &
quam sæpiissime. Multi qui turpem vitam agebant,
legitimis nuptijs iuncti sunt, expiatis prius rite crimi-
nibus; quod adeo iam usitatum est, vt oppidani duo
in quorundam nuptijs patrini adesse noluerint, nisi
ante crimina essent confessi. Habent in hoc oppido no-
stri Xenodochium ad ægrotos curandos, in quod etiā
se recipiunt mulieres illæ, quæ a vita mereiticia di-
scendunt, ubi sub viri cuiusdam honestissimi cura (neq;
enim eo se nostri admisceri patiuntur) tantisper de-
gunt, dum de vitæ suæ ratione constituant. Hæc de sin-
gulis Prouinciæ domicilijs: nunc ad eiusdem missio-
nes descendamus. Ex hac Prouincia missiones multæ
in varias Indorum prouincias suscepτæ sunt a nostris:
atque

atque ita fere instituta res est, ut nullus ad Hispanorum loca mittatur, quin ei comes aliquis addatur Indicæ linguae sciens, qui salutem Indorum procurare possit. Ex virisq. magni sunt fructus reportati. Ex Limensi Collegio missiones quatuor factæ, in quibus catechesi, concionibus, confessionibus, pacificationibusque conciliandis opera nauata est egregie. Quidam cum nullis neque precibus, neque minis a concubinæ confuetudine discedere vellet, audito nostro concionatore flexus est, & concubinam in matrimonium duxit, rem probantibus, admirantibusque universis. cum duo è nostris in aliam huius regni urbem profecti essent, eorum alter ad Hispanos ternas, alter ad Indos quaternas hebdomadis singulis cōciones habuit, ea hominum approbatione, studiisque & opifices vulgo officinas clauderent, & matronæ, virginesque quæ domo pedem efferre non consuerunt, frequentes conuenirent. concionibusque auditis magna in omnibus mōrum mutatio cernebatur: mulieres enim fuso, luxuque deposito ad modestiam rediere; pacificati inter se dissidentes; æris factæ restitutions; generales auditæ confessiones eorum, qui peccata ingentia nefarie occulabant; carcere inclusis, pauperibusque subuentum; aliaque multa è re diuina gesta. Atque hæc quidem cum Hispanis; nam ex Indis longe maior fructus perceptus, quibus, præter conciones, quas fieri singulis hebdomadis quaternas dixi, quotidie etiam in xenodochij parœcia, ubi nostri diuersabatur, catechismus explicabatur: tantusque fuit Indram concursus, & diligentia, vix ut per eos fratris respirare

spirare liceret, cum a prima luce ad vesperam vsq; ijs
aures dare cogeretur; multiq. etiam ante lucem ad
templum confluenter; Quid multa? tantus fuit Indo-
rum ardor, vt omnes fere catechismum cum eius de-
claratione, rationemque confitendi memorie manda-
rint, ac per eos dies in compitis, viciisque nulli aliij nisi
de religione, ac pænitentia sermones audirentur: mul-
tæque generales sunt exceptæ confessiones; multi ver-
beribus in seipso acriter scuierunt; atque in publi-
cum valetudinarium certatim, viri ac mulieres chri-
stiani officij caussa frequentes conuenerant. Ex Col-
legio item Cuzchenſi in pagos, ac vicina Indorum lo-
ca frequenter excusum est, bonamq; illius agri par-
tem nostri concionantes, rudes edocentes, baptizan-
tesque lustrarunt. Vbiique magna benevolentia signi-
ficatio ostensa est non ab Indis modo, sed etiam ab ip-
orum primatibus, quos Curacas siue Caziques vo-
cant: acciditque non raro, vt festiū campanarum
pulsu, pueris, puellisque cum vexillis, & crucibus ob-
uiam procedentibus, & Christianam doctrinam con-
cinentibus, exciperentur, alijs etiam tubis, choreisque
de gentis more, totaque obuiam effusa ciuitate intro-
ducerentur. Discedentes vero nostros lacrimis longe
prosequebantur; repertiq; sunt sexus utriusque non
pauci, qui nostros ad multa millia passuum, ac decem
interdum dierum itinere, concionum, confessionumue
caussa comitarentur. In his missionibus duo ex nostris
menses totidem versati, latissimos manipulos in Chri-
sti horreum retulere; ex Indis enim amplius sexagin-
ta sacro bapiismo lustrarunt: quamquam præcipius.

fructus

fructus cum Christianis constitit. Indi enim qui Cuz-
chensi agro habitant, baptizati quidem illi sunt om-
nes, sed Christianorum præter nomen habent nihil,
inopia enim magistrorum, doctorumq; in summa re-
rum diuinarum ignoratione versantur; quo etiam fit,
ut paullatim ad antiquos ritus, & cærimonias dela-
bantur. Atque hos populos satis sua sponte ad om-
nem superstitionem propensos ipsi etiam impellunt
Idolorum antistites, Arioli, magicasque artes exer-
centes, qui Christianam Religionem in odium addu-
cunt apud Indos, persuadentesque nihil ut veri in con-
fessione dicant, eosdemque inducunt, ut ex maiorum
superstitione Soli, Lunæ, terræ, montibus, lapidi-
busque aurum, vestes, animalia sacrificent. Horum
igitur plurimi, cum a veritatis via deflexissent, edo-
cti a nostris, quo in errore versarentur, ad reclam-
viuendi rationem rediere, magna cum superioris vi-
tæ detestatione cum se deceptos a suis quererentur.
Itaque generali confessione crimina eluerunt; concu-
binas qui habebant aut expulere, aut in uxores legi-
timas duxere; multi sub noctem in templis, aut domi-
suæ verberibus acriter se acceperunt; ex acta etiam
ætate senes cum numquam in vita crimina confessi es-
sent, edociti pro captu res fidei cōfessione expiati sunt,
ægroti etiam non pauci facta confessione decesserunt,
qui ad id tantum in vita reseruati esse videbantur. In-
dorum quidam Gubernator, audita Patris nostri cō-
cione ita permotus est, ut veniam ab Indis palam pe-
teret, qui eos vitæ improbitate offendisset; bortatus-
que omnes est, ut Patris monitis deinceps audientes
essent.

essent. Alter, filium coram se verberari iussit, quod eum minus honeste viuere inaudisset. Oppidi cuiusdā incolæ cum morbis plurimis ægrotarent, qui ex fluminis præter fluentis aqua creari dicebatur; vniuersi ad Patrem publice venerunt, malo remedium orantes. is hortatus omnes ad spem in Deo ponendam, indicta supplicatione cum sanctissimæ Crucis ligni reliquijs ad flumen processit, easque, bis ter in flumen demersit: quo tactu omnis morbi cauſa ex flumine depulsa est. Quidam cum visis quibusdam a Dæmone deterretur, ut ipsi sacrificia adhiberet; facta confessione liberatus est. Mulier quædam, cum amissis sensibus omnibus, extrellum spiritum duceret, ingrediente ad ipsam uno de nostris Sacerdote, sermonem recuperauit, eique confessa statim decessit. Alij duo similiter in missionibus versati præclaros suæ peregrinationis, generalibus confessionibus auditis, animisque dissidentium reconciliatis, fructus retulerūt. Ex Iuliensi Residentia quattuor hoc anno missiones factæ sunt ad Indorum Prouincias, in quibus præclare constitit missionum fructus, ita multi ad Christi fidem, et insignem morum mutationem sunt ddduti. Non pauci etiā cum in locis desertis ferarum more sine legibus viuerent, ad Christianum cultum, moresque traducti; quorū pauperies conquisitis eleemosinis a nostris subleuata est: quo beneficio obstricti libetissime nostris aures dedere, relictaq. feritate illa, in oppida conuenerūt. Ex ijs baptizati sunt duo milia quadringēti septuaginta; matrimonio autem Christianis legibus coniuncti mille centum quadraginta tres

tres. Plurimi etiā ex Indica nobilitate totius vitæ crimina sunt confessi: tantaque in omnibus morum emendatio visa est, ut gratia Deo ingentes agēdæ sint, qui per nostræ Societatis homines tanta, & tam multa in his Indiæ populis efficere dignetur.

HÆC fere habui de Societatis rebus, quæ scriberem. Quod reliquum est Deum oremus ut nos idoneos faciat Societatis ministros, atque ad ipsum rite colendum vires, animumq; impertiat; ne fructus ille quem ab eius Clementia sperare debemus nostra culpa impediatur. Romæ ex Collegio Romano 12. Kal. Decembr. M D L X X X I I .

Omnium in Christo Seruus.

Johannes Antonius Valtrinus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



